12-26 B 2

[illegible] VE[illegible]
[illegible] IN ARISTOTELIS DE VIRTVTIBVS LIbrum,

commentariorum libri tres, omnibus Platonicæ Ariſtotelicæq́; philoſophiæ ſtudioſis comprimis utiles & neceſſarij.

ACCVRATA ET ARTICVLATIM DIſtinctéq; facta omnium uirtutum humani animi diuiſio.

[illegible]EM, IVSTO VELSIO HAGANO AVTORE.

IUSTI VELSII HAGANI IN Aristotelis de Virtutibus Librum libri 3 Commentariorum



Bibl: Secr Coll: Rom: Soc: Je

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ

Excudebat Martinus Gymnicus, An. M. D. LI.

3 . 5

CHRISTOPHORI EHEMII PATRICII AVGVSTANI AD Lectorem carmen, in Ariſtotelis de Virtutibus libri à Iuſto Velſio præceptore ſuo è Græco in Latinum ſermonem conuerſi commendationem.

Qviſquis amas paucis cognoſcere maxima uerbis
Quæq; decem libris tractat Ariſtoteles,
Atq; animo memori præcepta recondere, paruum
Hoc legito ſtrictim magna quod arctat opus.
Namq; hic uirtutum ſpecies, ſymptomata, cauſas,
Primæuos fontes, ordine quæq; docet.
Quem tibi ſic propriè transfert pureq; loquentem
VELSIVS inſignis Palladiæ artis honos,
Vt potius graio dubites ſermone legendus
Hic ſiet, an latio: præſtat utroq; quidem,
Sed tamen ignarus Græcæ ſi forte loquelæ
Tu ſis, ſufficiat uerſio fida tibi.

HERMANNVS CYRIANDER à Benraet ad Lectorem.

Explicat hæc eadem, quæ tranſlulit, optime Lector
VELSIVS, & ueterum maxima quæq; docet,
Vnde queas animi pacatos reddere motus,
Affectum & mentis ſubijcere imperio.
Quare agè, diuinæ quiſquis uirtutis amator,
Accipe quæ dantur ſplendida ſcripta uiri.

12-26-B-2

SPLENDIDISSIMIS ATQVE ORNATISSIMIS VIRIS D. Arnoldo à Siegen Equiti aurato, octauum, D. Hermanno Sudermanno, quartum COSS. Ampliſſimoq́; florẽtiſſimę Colonienſis Reipublicæ Senatui, Dominis ſuis colendis, [illegible]ſtus Velſius Hag[illegible]

S. D.

MAgna mihi & ſemper uiri Ampliſſimi humanarũ uoluntatum uarietas, & diſſimilitudo opinionũ uiſa eſt, & hoc potiſſimũ tempore, quo nihil propè dicam inter homines, quàm hoc ipſum [illegible]ſſidere cõuenit. Itaq; alios uideas linguarum cognitionis ſtudio intentos, omnem tantum non ætatem in euoluendis poetarum

2

& oratorum ſcriptis, reliquorumq; autorum, vnde hæc petenda & comparãda eruditio creditur, conſumere, ijs etiam, quorum gratia niſi expetatur, inanis ea, ſuperuacanea & nullius penitus ſit uſus, ſpretis & repudiatis. Alios uero contrà, quàm hi ſunt, affectos, literarum ſcientiam ac ſermonis, & eloquendi elegãtiam, omnemq; adeo politiorem humanitatem, nõ ſolum ut inútilem, ſed etiam ut noxiam & pernicioſam damnare, atque inimicè inſectari, quaſi errorum & impietatis reliquæq; improbitatis uniuerſæ quoddam ſit ſeminarium. Quorum ego utroſque, ut à medio & recto plurimum receſſiſſe, & opinione quidem ad falſum, uoluntate aũt ad malum diuertiſſe iudico, & in extremis quibuſdam conſiſtere: ita mihi optimè ſentire uidentur, eorumq; propoſitum quàm maximè eſſe laudabile, qui mediocritatẽ, quæ rebus in omnibus iure probatur, amantes, modum hîc certum adhibent, neque linguarum ſtudium ac cognitionem, ſine qua omnis ad maiores grauioresq; ar

tes atque ſcientias, aut penitus obſtruitur aditus, aut certè difficilis relinquitur, contemnentes: neque huius rurſum ſtudij ammœnitate nimium illecti & inflammati, tanquam in fine quopiam hic acquieſcentes. In quibus cum & ipſe nomen meum profitear, uideor mihi nihil alienum, nec ab inſtituto noſtro abhorrens facturus, ſi & ſententiæ huius ueritatem, & propoſiti rectitudinem hoc loco quàm firmiſſimis fieri poterit argumentis adſtruam: non quod ueſtras amplitudines, quarum cùm ſumma prudentia, quæ in adminiſtranda temperandaq; tam florenti & populoſa Rep. facilè eluceſcit, & longè antè id iam perſpexit, tum uoluntas, quod multis argumentis cognoſci poteſt, in honeſtiſſimum recta ſtudia promouēdi propoſitum tota propendet, de his quicquam dubitare exiſtimem: ſed ut ijs os obſtruamus, aut, ſi quà fieri poſſit, infenſiores eorum animos placemus potius, qui pręclariſſimis huiuſmodi ſemper conatibus obſtrepere ſolēt, & quãtum in ipſis eſt, obſiſtere nituntur.

Quorum hoc primum eſt, in quo admirer, neque ſatis intelligam, cur cum quicquid in Philoſophia, Medicina, cæteriſque ingenuis artibus ac ſcientijs præclari extat, id totum ad ueteres autores, nec im merito, referant, eas literas, ſine quibus hi aut intelligi prorſus nequeant, aut parum commodè, aut quod certè dare coguntur, quarum præſidio & certius & facilius cognoſcantur, oderint. Neque enim illud uerè unquam dixerint, non longè melius minoríque negocio ab eo, qui Græcæ linguæ ſit peritus, Platonis exempli cauſa, & Ariſtotelis ſenſa percipi poſſe, quàm qui eiuſdem linguæ cognitione deſtituatur. Nam primùm quidem, ut Græcis literis doctiſſimus etiam ipſis ubique, quod ita minimè ſe habet, contigerit interpres, raræ tamen cuiuſdam felicitatis fuerit, nuſquam ipſum labi, nuſquam impingere. Deinde talis, ſi quidem purè Latino utatur ſermone, ab ijs intelligi non poterit, qui linguarum eruditionem negligunt, ſin

Barbarus, ac Latinarum literarum ſcientia, & eloquendi elegantia deſtitutus, hunc ego non admodum Græcæ linguæ cognitione inſtructum eſſe poſſe exiſtimauerim: & ut maximè ſit (Græcus autem potiſſimum natione is fuerit) patrij ſermonis proprietatem & phraſes, ipſius ubique tranſlatio exprimet, ut hunc rurſus facilius, qui Græcas literas nouerit, quàm earum imperitus aſſequatur. Quare rectè mihi in uniuerſum id dicturus, atque adeò concluſurus uideor, ad ueteres autores, qui philoſophiã nobis explicarunt, rerumque cognitionem tradiderunt, aut omnino intelligendos, aut expeditè & exquiſitè magis, linguarum requiri cognitionem. Quod ſi ſit, optimè ſibi eos conſulere, qui earum ſe ſcientia inſtruant, nec hanc prærogatiuam ſibi negligendam putent. Atenim dicunt, hæc cum audiant nonnulli, cum hominum uita ſit breuis, rerum autem cognitio, utpote multis obſtructa difficultatibus, longa, ſatius eſſe, ut linguarum & ſermo-

nis poſthabito ſtudio, omnem curam ope ramq; in rerum inueſtigatione ponamus: quæ uериſimilitudinem quidem aliquam habet oratio, ſani autem, ut prouerbio dicitur, ueriq; nihil: quod hac ratione facilè cognoſcat, quod illi ipſi, qui huius ſenten tiæ tum inuentores & autores ſunt, tum comprobatores atque æmuli, uelint, nolint, fateri cogantur, aliqua omnino alteri us alicuius linguæ, ut ad eam, quam iactat, rerum perueniant ſcientiam, præter dome ſticam & natiuam, cognitione eſſe opus, & uel barbaræ illius, qua utuntur ipſi, uel Latinæ & Græcæ, quibus nos perdiſcendis iucumbimus, & potiſſimum ut commodis ad ueteres intelligendos inſtrumentis fidimus, ut tota adeo quæſtio in duobus his conſiſtere uideatur. Primo quidem, ut conſideremus, utrum facilius ſit incorruptam Latini Græciq; ſermonis integritatem perdidiciſſe, an linguarum confuſionem illam & miſcellam, ex tot & tam diuerſarum nationum uocibus conflatam, utpote in quam hæc ex Gallia, illa ex Hiſpania,

ſpania,ex Dalmatia alia, & alia item ex Ita lia,nõnulla etiam,ne parum hæc uideatur fortunata, ex felici Arabia,& unde tãdem non,comportata ſint. Secũdo uero,quod iam magna ex parte probatum exiſtimo,ut æſtimemus,utrum plus momẽti ad rerum cognitionem ſit allaturum in turbido hoc & inquinato uolutari cœno barbarico,an uero potius placidiſſimè fluentes amnes, perlucidos illos &puriſſimos adire fontes. Sed mihi quidẽ prius illud dijudicatu non difficile uidetur:nec apud eos, qui æquos ſe iudices præbere uelint, multum nobis laborandum arbitror,ut probemus & citius & minori negocio duas illas politiſſimas percipi linguas poſſe,Græcam dico & Latinam,q̃ incultam & horridam barbariem.Nam cum quod unum eſt, rectum & finitum,certaq; quadam ratione conſtat, & in unius ſcientiæ modum redigi poteſt, eo quod multiplex eſt,tortuoſum,fluctuans &diſſolutum infinitumq;,neq; arte ut comprehendatur,naturam ullo modo habet idoneam, non ſolum cognitionem ſui

ſaciliorem pręſtet: ſed etiam, illud quidem eiuſmodi ſit, ut plenè aliquando, nec ita multorum annorum, ſi quis fortè ſit diligentior, opera perdiſci poſſit, hoc autẽ tale, ut omnino nequeat: ſit autem illius generis Græca & Latina lingua, quæ ſunt doctiſſimorum Grammaticorum præceptis exquiſitè ſimul & breuiter cõprehenſæ, & autorum enarratione ac lexicis ſatis explicatæ: huius autem Barbaries, ad cuius nec nominum uim monſtroſam ſæpe & Chimæricam ulla unquam dictionaria, ut uocant, ſufficiant, alijs atq; alijs nouis, ut fertilis res eſt Barbaries, imo luxuriãs potius & quaſi ſylueſcens ac in omnes partes nimiam ſe fundens, uocibus, tanquam ſtolonibus quibuſdam, ſubinde ſe proferentibus ac ſuppullulãtibus, nec ſermonis uniuerſi infinitam ac diſſolutam naturam præceptis coercendam aſtringendamque Grammaticæ quantumuis multiplicatæ, quis eſt, qui de eo amplius dubitet, nec tantum temporis, nec laboris Græcam ac Latinam, ut plenè cognoſcatur, requi-

rere linguam, quantum inculta Barbaries, niſi forte qui Margite ſit ſtupidior, ut æſtimare nequeat, quàm infinitè ſit finito, nec eo uſquequaque magno, infinitum maius. Atque hoc quidem cum ſic ſe habeat, de altero ambigere inſcitiæ mihi eſſe uidetur. Quomodo enim non longè ad rerum ſcientiam facilius nos certiuſq́ue quod terminatum eſt, & finitum perduxerit, quam id, quod nec termino ullo circumſcriptum, & infinitum eſt. Cæterum Barbariem eſſe eiuſmodi, inde ſtatim cognoſci poteſt, quod ad uitij eiuſq;, quod à recto deſciuit, naturam pertineat, cum Græci Latiniq; ſermonis puritas & integritas in uirtute ſit reponenda. Quare optima eorum eſſe opinio cognoſcitur, qui Græci Latinique ſermonis cognitionem ſobriam (uoco autem ſobriam, quam Græci ἀυτάρκη nominant, quę curioſiori, q̃ ex uſu ſit, linguarum ſtudio eſt contraria) ei, qui legitimè philoſophaturus eſt & ad rerum ſcientiam ſine ullo errore peruenturus, neceſſariam eſſe iudicat: eorum por-

porrò propoſitum rectiſſimum, qui quod optimum eſſe & utiliſſimũ cognouerint, omnibus etiam uiribus aſſequi conentur. Atq; hos quidem, hæc qui faciant, quod ſibi rectè conſulunt, ego iure laudandos cenſeo. Vos autem CC. COSS. & Ampliſſimum Senatum ob ſingularem prudentiam, & erga honeſta rectaq; ſtudia beneuolentiam ac benignitatem, etiam honorandos ac colendos, & maximis ubiq; encomijs celebrandos, quod cum celeberrimã & frequentiſſimam quondam hanc Vniuerſitatem inſtaurare, & in priſtinam integritatem ac dignitatem reſtituere conſtituiſſetis, & non omnino infeliciter in Sacra Theologia, Iuriſprudentia & Medicina id proceſſiſſet, neq; huic parti, quæ ad Græci Latiniq; ſermonis incorruptam integritatem ac cognitionẽ, & omnino politiorem pertinet humanitatem, communiaq; literarum ſtudia, deeſſe uolueritis: ſed erudi tiſſimis huc modeſtiſſimisq;, quã ego non infimam in profeſſore laudem eſſe exiſtimo, adhibitis uiris M. Gerardo Matthi-

ſio

ſio Geldrienſi,ad Græca, M. Iacobo Lei-hio Cochemēſi,ad Latina profitenda, me quoq;,qui in Philoſophia cum Græcis La tina coniungerem, his quaſi collegam ad-iungendum eſſe cenſueritis.De quo id uo bis tutò polliceri poteſtis,ſi quid in me ſit ingenij,ſi quid eruditionis atq; doctrinæ, quorum Deum omnis boni inexhauſtum fontem, mihi autorem, homines doctos proboſq; iudices ſtatuo,id totum ſine ul-la inuidia in auditorium benignè ac libe-raliter effundēdum. Neq; uero quicquam metuendum exiſtimo,ne quod haud par-ua cum laude,maxima certè omnium ex-pectatione Ampliſſimus ueſter Senatori-us,prudentia neſcio maiore, an pietate & beneuolentia dicam,cœperit ordo, ab eo aut difficultate aliqua, quam non uideo qua ratione huic interuenire negocio faci le poſſit,deterritus,aut inuidorum & ma-leuolorum obtrectationibus, quas ut hîc non defuturas ſuſpicor,ita generoſe aſper nandas & refutādas iudico,fractus & con cedens aliquādo deſiſtat:ſed ſpem certam con-

concipio futurum, ut indies etiam alacrior reddatur, dum non ſolum in ueſtram Viri Splendidiſſimi atque ornatiſſimi ſapientiam & conſtantiam intueor: ſed etiam priuatim quorũdam Senatoriorum uirorum mihi familiarius cognitorum, ex quibus etiam de reliquis coniecturam facio, ſtudium & fauorem præclaros hos cœptus promouendi animaduerto. Inter quos non minimam laudem deberi arbitror, rerum uſu & frequentibus atque arduis Reipub nomine obitis legationibus peritiſſimo integerrimoq; uiro, D. Frederico Echtio, duobus filijs, D. Ioanne Echtio, Illuſtriſſimi Principis Guilielmi Ducis Iuliac. Cliuenſ. Montenſ. &c. D ctori Medico eximio, & in artis operibu exercitatiſſimo, à multis mihi iam annis & noto & familiari, & Frederico Echtio eiuſdem cum patre nominis: qui Iuris doctor ante paucos dies ex Italia redijt, ue rè felici. Iam uerò nec illud minimi momenti ad certiorem negocij huius progreſſus fiduciam eſſe duxerim, quod Iuris

con-

conſultiſſimum uirum, D. Conradum Betȝrop, Ordinarium, & in Iuriſprudentiæ facultate Promotorem, non ſolum ſtrenuum Veſtris Ampl. ultro etiam eò propenſis, hortatorem, hîc eſſe uideam: ſed etiam, quô huic rectè conſulatur negocio, nihil ſibi facere reliquum. A quo propoſito, nec uoluntas D. Ludouici Falckenberch Legum Doctoris exercitatiſſimi & Ordinarij Iuris ciuilis profeſſoris, ac Vicecancellarij abhorret, qui & ipſe, dictu mirum, quanto huius rei promouendæ deſiderio flagret: ut undique ſpes nos pulcherrima foueat, ſic con ſpirantibus CC. COSS. Ampliſſimi Senatus, Virorum Senatoriorum, Excellentiſſimorum Doctorum, omniumque bonorum uotis & conatibus, fore, ut priſtinam aliquando dignitatem Colonienſis hæc recuperet Vniuerſitas, Dei Opt. Max fauore & beneuolentia: qui ut ueſtras Ampl. totumq; digniſſimum Senatorium ordinem, diu incolumes nobis &

bis & Reipub. ſeruet, ſummo ſemper optamus opere. Valete Viri Splendidiſſimi atque ornatiſſimi, & nos qua cœpiſtis beneuolentia complecti pergite. Coloniæ, Calendis Martijs Anno M. D; LI.

[redacted] IN Ariſtotelis de Virtutibus li-brum cõmentariorum, Liber primus.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΕΡΙ ΑΡΕΤΩΝ.

Ἐπαινετὰ μέν ἐστι, τὰ καλά. ψεκτὰ δὲ, τὰ αἰσχρά. καὶ τῶν μὲν καλῶν ἡγοῦνται αἱ ἀρεταί. τῶν δὲ αἰσχρῶν αἱ κακίαι. ἐπαινετὰ δέ ἐστι, καὶ τὰ αἴτια τῶν ἀρετῶν, καὶ τὰ παρεπόμενα ταῖς ἀρεταῖς. καὶ τὰ γινόμενα ἀπ' αὐτῶν, καὶ τὰ ἔργα αὐτῶν. ψεκτὰ δὲ, τὰ ἐναντία.

ARISTOTELIS DE VIRTVTIBVS LIBER.

LAudabilia quidem ſunt, quæ pulchra, uituperabilia uerò, quę turpia. Atque pulchrorum quidem

A princi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

principatum, uirtutes, turpium uerò, uitia obtinent. Cæterum laudabiles ſunt & uirtutum cauſæ, & quæ uirtutes ſubſequũtur, quæq; ex eiſdem eueniunt, atq; ipſarum opera. Vituperabilia uerò, quæ his ſunt contraria.

De uirtutibus ac uitijs tractaturus Ariſtoteles, quot ſint, quæq; uniuſcuiuſq; ſit ratio, & quæ ad cuiuslibet uirtutis ac uitij naturam referantur, ſeu ut accidentia, ſeu ut cauſæ, aut etiam alio quouis modo, imprimis quidnam uirtus ſit ac uitiũ ſubijcere debuit, tum quod neq; diuidere, neq; ſpecies alicuius generis rectè inuenire queas, niſi ipſum genus & ſecandum exactè prius cognitum habeas, tum quod huius quoque methodi, quam Galenus ex definitionis diſſolutione, recentiores ſimpliciter definitiuam appellare ſolent, ſit proprium, à definitione exordiri. Verum quoniam interdum latior uocis explicatio definitionis uſum præſtat, noſtramq; notionem, quam de re habemus, ſatis aperit, & ad ſubſtantiæ ipſius cognitionem aliquo modo promouet, idcirco hic & Ariſtoteles latiori quadam oratione uirtutis & uitij rationem ſubijcit, ſimul & ea quodammodo comprehendens,

quæ

quæ ad utrunq; ſpectãt & refertũur. Inquit igitur ea quæ pulchra ſunt & honeſta, laudem mereri, quæ uerò turpia & inhoneſta ſunt, uituperatione digna eſſe. Virtutes autem inter honeſta primũ obtinere locum, & uitia inter inhoneſta. Ex quibus ueluti ſyllogiſmo colligi poteſt, maximè quidem laudabiles uirtutes, maximè uerò uituperabilia eſſe uitia. Sed & uirtutum, inquit, cauſæ laudabiles ſunt, uirtutum cauſas, & ipſam ingenij indolem, & rectam à teneris inſtitutionem, & cum bonis conuerſationem, aßiduumq; ſtudium & exercitationem quæq; his alia ſunt cognata appellans. Et quæ uirtutes ſubſequuntur, id eſt, ſymptomata ſeu accidentia, quæ paulò poſt qualia ſint in ſingulis uirtutibus cognoſcemus. Quæq; ex eiſdem eueniunt, fructus puta & commoditates, honores reliquaq; his ſimilia. Atq; ipſarum opera, id eſt, actiones. Poteſt autem hoc totum, Et quæ uirtutes ſubſequuntur quæq; ex eiſdem eueniunt, atq; ipſarũ opera, & ſic intelligi, ut illud quidem: Et quæ uirtutes ſubſequũtur, tanquam genus ſit, reliquas duas ſub ſe partes continens. Et hæc uera eſſe autoris mens uidetur.

Τριμεροῦς δὲ τῆς ψυχῆς λαμβανομένης κατὰ Πλάτωνα, τοῦ μὲν λογιστικοῦ ἀρετὴ, ἐστὶν ἡ φρόνησις. τοῦ δὲ θυμοειδοῦς, ἥτε πρᾳότης, καὶ ἡ ἀνδρεία.

τοῦ δὲ ἐπιθυμητικοῦ, ἥτε σωφροσύνη, καὶ ἡ ἐγκράτεια. ὅλης δὲ τῆς ψυχῆς, ἥτε δικαιοσύνη, καὶ ἡ ἐλευθεριότης, καὶ ἡ μεγαλοψυχία. κακία δέ ἐστι, τοῦ μὲν λογιστικοῦ ἡ ἀφροσύνη, τοῦ δὲ θυμοειδοῦς, ἥτε ὀργιλότης, καὶ ἡ δειλία. τοῦ δὲ ἐπιθυμητικοῦ, ἥτε ἀκολασία, καὶ ἡ ἀκράτεια. ὅλης δὲ τῆς ψυχῆς ἥτε ἀδικία, καὶ ἀνελευθεριότης, καὶ μικροψυχία.

At cum ex Platonis ſententia triplex fingatur anima, Aeſtimatricis quidē eius partis, prudētia uirtus fuerit. Animoſæ uerò, lenitas & fortitudo. Eius aūt cui cupiditas tribuitur, frugalitas & continētia. Totius uerò animæ iuſtitia, liberalitas, & magnanimitas. Porrò autē uitium, Aeſtimatricis quidem partis, inſipientia habetur. Animoſæ uerò, iracundia & timiditas. Eius aūt in qua cupiditas eſt collocata, intemperantia & incōtinentia. Totius uerò animæ, iniuſtitia, illiberalitas, & puſillanimitas.

Aſsignatis generibus uirtute, inquam, & uitio, deinceps ad ſpecies progreditur, quas quidem ex ſubiecti, id eſt, animæ diuiſione ſumit. Cum enim animæ uariæ ſint partes, ut Plato & alij ante Platonem ueteres uoluerunt, Alia enim ipſius pars eſt, qua diſcimus, resq́; apprehendimus & dijudicamus, quod λογιστικὸν Græci uocant, nos æſtimatricem partem uertimus idcirco, quod non ſolum rationem ſub ſe, ſed & ſenſum & memoriam comprehendat, ut apud Galenum uidere eſt, libro, Quod animi mores corporis temperaturam ſequantur. Alia uerò, in qua irarum exiſtit ardor, omninoq́; uis quædam effera, θυμοειδὴς græcis dicitur, Latini animoſam appellare uidētur. Tertia autem, quæ quod uaria ſit & multiformis, uno quidem nomine appellari proprio nequit, ab eo autem quod maximum uehementiſsimumq́; in ſe habet, cupiditatem nimirum, ἐπιθυμητικὴ Græcis dicitur, uniuſcuiuſq; certè ut propriæ ſunt facultates & actiones, ita & uirtutes fuerint, quas conuenienti ratione ac ordine proponit Ariſtoteles. Nam primum quidem prudentiam æſtimatricis eſſe animi partis uirtutem inquit. Deinde lenitatem & fortitudinem, animoſæ. Quemadmodum frugalitatem & continentiam, eius quæ ἐπιθυμητικὴ dicitur. Atq; hæ quidem ſunt ſingularum animæ partium uirtutes. Ex quibus rectè ſe habentibus omnibus & inter ſe conſentientibus & conſpi-

conſpirantibus iuſtitia emergit, totius animi uirtus, & liberalitas, & magnanimitas. Vt enim in animantium corporibus & ſingulæ partes ſuam & propriam ſanitatem obtinent, atq; ex his totius quædam corporis ſanitas oritur, ut item in fidelib. plurimis & quælibet contenta numeris eſt ſonumq; proprium obtinet, & ex omnibus concentus quidam exit & harmonia, ita & in anima accidere deprehenditur. Nam & ſingulæ partes proprijs uirtutibus præditæ ſunt, eſtq; omnium ſuauis quædam conſpiratio ac cõſenſus. Cæterum qua ratione uirtutes, hæ quidem ſingularũ ſint animæ partium, illæ uerò totius, idipſum, quantum ad præſens inſtitutum ſat fuerit, in explanandis ſingularum uirtutum definitionibus oſtendemus à prudentia facto initio, quam ſic nobis definit autor.

ΦΡΟΝΗΣΙΣ.

Ἐςὶ δὲ φρόνησις μὲν, ἀρετὴ τοῦ λογιςικοῦ, παρασκευαςικὴ τῶν πρὸς εὐδαιμονίαν συντεινόντων.

PRVDENTIA.

Atq; prudentia quidem, æſtimatricis eſt animæ partis uirtus, ad comparanda ea quæ ad beatitudinẽ pertinent idonea.

Si rectè dictum à Saluſtio exiſtimamus priuſquàm

incipias

incipias cõſulto, & ubi conſulueris, maturè opus eſt facto, merito & hæc quoque uirtus reliquas uirtutes anteceſſerit. Eſt enim ueluti domina quædam & cæterarum gubernatrix, eoq; non ut aliæ ferè impetu fertur, ſed iudicio & ratione firmatur. Eſt autem hæc, ut inquit autor, æſtimatricis animæ partis uirtus, uirtutem, ut genus in definitione collocans: reliqua uerò, ut differentias adhibens. Quod quidem æſtimatricis ſit animæ partis, tanquam à ſubiecto ſumptum diſcrimen, quo à reliquis uirtutibus, quæ in aliis conſiſtunt partibus, aut tota anima, diſtet. Quod uerò ad comparanda ea, quæ ad beatitudinem pertinẽt, idonea, ut ab obiecti ſeu circa quod uerſatur natura. Inquit igitur, uirtutem eam æſtimatricis eſſe animæ partis, quod & hanc partem ut rectè ſit affecta efficiat, & opus eius perfectum proferat. Per æſtimatricem autem partem, etſi omne in ſe, ut diximus, κριτήριον, id eſt, iudicandi uim continet, tamen ſpeciatim nunc intelligimus eam, quæ rationis eſt compos. Atq; huius adeò ipſius eam rurſus partem ſeu facultatem, quæ Græcis νοῦς πρακτικός, à noſtrorũ nonnullis intellectus actiuus nominatur, qui illi altera ex parte adhibetur, quem contemplatiuum appellare ſolent. Huius autem opus ſeu officium eſſe, prouidere præparareq; quæ ad beatitudinẽ pertinent. Sunt autem hæc nec neceſſaria, nec quæ fieri nequeant, ſed

quæ τὰ ἐνδεχόμενα Græci uocant, noſtrorum nonnulli contingentia uertunt, & circa quæ nulla ars, nec ſcientia eſt, in noſtra tamen ſunt poteſtate, & in deliberationem cadunt. Et hæc quidem æſtimatricis eſt animæ partis uirtus, reliquarum omnium ueluti gubernatrix quædam.

ΠΡΑΟΤΗΣ.

Πραότης δέ ἐστιν, ἀρετὴ τοῦ θυμοειδοῦς, καθ' ἣν ὑπ' ὀργῆς γίνονται δυσκίνητοι.

LENITAS.

Lenitas uerò eſt animoſæ partis uirtus, qua fit, ut ira haud facile incitemur.

A prudentia deinceps lenitatem definit. Neq; uerò id immerito facere deprehenditur. Nõ ſolum enim quod hunc inter ſe ordinem animæ partes obtineant, idcirco de animoſæ partis uirtutibus prius, quàm de eius quæ cupiditatibus eſt dedita, agit: ſed etiã quod hac ipſa animoſa parte, ea quæ rationis eſt compos aduerſus alteram tanquàm auxiliaria utatur, quæ irrationaliter ad corporis ſeſe uoluptates abijcit. Eſt autem duplex eius uirtus. Altera quidem, qua irrationalis hæc animoſæ partis facultas & uis non deijcitur quidem, & labefactatur, prorſusq; diſſoluitur, ſed

quâ domatur, manſueſit, & rationi ſubijcitur atq; obtemperat. Altera uerò quæ hoc præparata modo, quocunq; ratione duce feratur, ſtrenuam ſe ſemper exhibet, & ad omnia etiam quæ mortem minantur pericula intrepidam. Vocatur autem prior illa non proprio quidem, ſed affectionis nonnihil ad defectionem declinantis nomine, lenitas ſeu manſuetudo, quam etiam hoc loco Ariſtoteles mihi propemodum definiuiſſe uidetur. In quarto autem Moralium ad Nicomachum libro, ueram ipſam uirtutem deſcribit, cū inquit, Qui uerò, ob ea quæ oportet, & quibus oportet, iraſcitur, inſuper uerò & quemadmodum, & quando, quantoq; tempore, laudatur, lenis autem hic fuerit, & cætera quæ ſequuntur. Quam autem hic ponit definitionem, ea, ut & uox, nonnihil in defectionem uergit. Nam lenitas eſt, inquit, animoſæ partis uirtus, quâ fit ut ira haud facile incitemur. Idipſum autem Græca euidentius adhuc declarant ob uocem Δυσκίνητοι, quod difficulter mobiles & incitabiles ſignificat. Sed quoniam in eam peccare partem quàm alteram præſtat, tum quod huc minus natura propenſi ſimus, tum quod minus ſit uitium, ac ad ipſam uirtutem quædam quaſi uia, eam etiam ob cauſam nonnunquam & pro uirtute habetur. Quanquam poteſt & Ariſtotelis hæc definitio commode interpretata ad ueram uirtutem accommodari, ſi nimirum Δυσκίνητοι, id eſt,

difficulter incitabiles perinde accipiamus ac ſi οὐκ ἀλόγως κινητοὺς ὑπ' ὀργῆς, id eſt, qui ira non citra rationem & modum incitantur, dixiſſet, quam ipſius mentem eſſe rationi conſentaneum eſt.

ΑΝΔΡΕΙΑ.

Ἀνδρεία δέ ἐστιν, ἀρετὴ τοῦ θυμοειδοῦς, καθ' ἣν δυσέκπληκτοί εἰσιν ὑπὸ φόβων τῶν περὶ θάνατον.

FORTITVDO.

Fortitudo autem, animoſæ eſt partis uirtus, qua fit, ut non facile mortis terrore horeſcamus.

Explicata altera animoſæ partis uirtute, deinceps ad alteram tranſit, eam inquam quæ præparatam hāc animæ partem accipiens, & rationis imperium non recuſantem, iam excitat, & ad res agendas nauam & alacrem reddit, ſuamq; generoſitatem & robur ut exerat facit. Vt enim in equis & frenis & calcaribus uti ſolemus, illis quidem ut nimios eius impetus ferociamq; comprimamus, & uiam quam monſtrat eques, ire faciamus: his uerò ut animos excitemus & ad robur exerendum ſtimulemus, ita & ad hanc irrationalem animæ partem duas adhibemus uirtutes, præcedentem quidem illam, quàm ſuperius interpretati ſumus, ut frenum. Hanc uerò, de qua nunc

agimus,

agimus, ut calcaria. Eſtq; adeo eius definitio aperta nec longæ indigens explanationis. Animoſæ enim partis uirtus eſſe dicitur, qua & ardua capeſcere, & pericula etiam quæ mortem minantur, ſubire iubente ratione ſuſtinemus. Hæc enim uerborum autoris eſt ſententia, ex eo quod maius eſt, etiam id quod minus eſt inſinuantis. Nam ſi hac fit, ut nec mortis timore facile percellamur, ſed ipſam etiam contemnamus, multo minus aut leuiora nos terrebunt pericula, aut labores doloresq; frangent. Atq; hæ quidem ſunt animoſæ partis uirtutes, ſatis, ut arbitror, quantum ad præſens attinet inſtitutum explicatæ. Quare ad tertiæ partis, quam ἐπιθυμητικὴν Græcis appellari diximus, uirtutes tranſeamus. Sunt autem hæ duæ. Altera quidem, quæ exquiſitius conſideranti uirtus forſitan abſoluta non ſtatuatur, ſed ut inquit Theages, ἡμιτελὴς ἀρετὴ, quæ adhuc in luctatione & pugna rationis cum experte rationis potentia cõſiſtat, & continentia dicitur. Altera uerò, ubi ratio iam planè dominatur, nec ulli ſeſe irrationales proferant affectus, quæ etſi quoad nos poſterior eſt, tamen quoniam natura eſt prior ac potior, de hac etiam prius agit autor, eamq; tali definitione explicat.

ΣΩΦΡΟΣΥΝΗ.

Σωφροσύνη δέ ἐστιν, ἀρετὴ τῶ ἐπιθυμητικῶ, καὶ

καθ᾽ ἣν ἀνόρεκτοι γίνονται περὶ τὰς ἀπολαύσεις τῶν φαύλων ἡδονῶν.

FRVGALITAS.

Cæterum frugalitas, eius eſt animæ partis uirtus, cui cupiditas tribuitur, per quam efficitur, ut prauis uoluptatibus fruendi appetitu non incitemur.

Quod ad has attinet uirtutes & oppoſita ipſis uitia, quatuor animi conſtitutiones eſt inuenire. Duas quidem laudabiles & affectandas: Duas uerò uituperabiles & fugiendas. Habent autem ſeſe hoc modo, ut in laudandarum & uituperandarum altera, nulla ſeſe cõtrarij uis proferat, ſed in uirtute quidem, abſoluta rationis ſit uictoria & dominatio, in uitio uerò cupiditatis & irrationalis animi facultatis. Atq; hæc quidem tanquam duo extrema mihi intellige. Inter has autem conſtitutiones, aliæ duæ ſunt intermediæ, Altera affectanda, fugienda altera, in quibus ratio cum cupiditate pugnat. Et modò quidem illa ſuperior euadit, ac continentia, imperfecta, ut diximus, oritur uirtus. Modò uerò hæc uincit, & incontinentia ἡμιτελὴς κακία *emergit. Vt autem hæc clarius intelligantur, im aëris uario ſtatu, tanquam in imagine & exem-*

& exemplo, ſpectanda proponamus. Eſt igitur in aëre, nunc quidem, tanta tranquillitas & ſerenitas, ut nec ullæ nubes conſpiciantur, ſed undique illuſtre & clarum appareat cœlum, & à uentis prorſus ſit quies. Nunc uerò, tanta perturbatio, qualis apud Maronem primo Aeneidos deſcribitur, cum inquit:

Eripiunt ſubitò nubes cœlumq́; diemq́;
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.

Suntq́; hi duo ueluti extremi aëris ſtatus, alter cum temperantia & frugalitate conuenientiam quandam obtinens, quod ut ibi ſol omnia ſuo lumine complet & illuſtrat ad infima uſq; uim ſuam lumenq́; nullo prohibente diffundens, ita & in anima ratio inferiores potentias nullis cupiditatum nebulis ac tenebris offuſas illuminet, unde etiam σωφροσύνη Græcis dicitur, tanquam τῆς φρονήσεως quædam ſit σωτηρία, ut uult apud Platonem in Cratylo Socrates, & illi conſentiens ſexto Moralium ad Nicomachum Ariſtoteles. Tali enim demum animi ſtatu uim ſuam exerere mens & ratio poteſt, ut compoſitè & aptè ſingulæ partes ſuis fungantur munijs: alter cũ intemperantia, quæ turbida quædam animi eſt ueluti tempeſtas cupiditatum malarum & corporearum uoluptatum impetu agitati. Rurſus inter extremas haſce conſtitutiones oppoſitas, aliæ quædam ſunt intermediæ, ratione quidem eius, quod magis eſt & minus, infinitas

prope differentias obtinentes, ad duas tamen ueluti uniuerſales reductæ. Aut enim ſolis uis & ſerenitas præualet, aut nubium & tempeſtatis. Huic in animo ſimilis eſt incõtinentia, ubi uoluptates cupiditatesq; à ratione ſubigi & euinci nequeunt. Illi uerò continentia, quod ut in cœlo paulatim ſolis ui ac calore nubes diſcutiuntur ac ſuperantur, ſic & in animo paulatim euictæ cupiditates euaneſcant, rationiq; locum faciant. Et ex his quidem quatuor animi dictas conſtitutiones facile intelligi poſſe arbitror. Quare deinceps ad frugalitatis definitionem examinandam progrediamur. Inquit igitur Ariſtoteles uirtutem eam eſſe eius animæ partis in qua cupiditas eſt collocata, quæ quã uim in definitione obtineant, ex ſuperioribus intelligi poteſt. Alterum enim, ut genus, alterum ut differentia à ſubiecto ſumenda ponitur. Quod uerò deinceps ſubijcitur, per quam efficitur, ut prauis uoluptatibus fruendi appetitu non incitemur, ab obiecti ſeu circa quod hæc uirtus uerſatur, natura petita proprietas. Nam circa uoluptates earumq; cupiditates uerſatur hæc uirtus. At non omnes. Neq; enim circa animi, ſed corporis. Neque huius rurſus quaslibet, ſed quæ tactu guſtuq; potiſſimum percipiuntur, quas quoniam ſeruiles & pecudibus potius beſtijsq; quàm hominibus conuenientes iudicamus, non ſolum ſubigendas opprimendasq;, ſed etiam extirpandas ac funditus

tollendas cenſemus. Atq; in hoc ipſo huius uirtutis conſpicitur, ut in quo hæc ſit, nullum is prauis, id corporeis uoluptatibus fruendi appetitum ſentiat, has prorſus reſpuat & auerſetur. Atq; hæc qui- n perfecta eſt uirtus & abſoluta, cuiuſmodi in- dum dum accuratius & exquiſitius loqui uolunt, as uirtutes appellandas cenſent, quod nihil contra- in ſe contineant. Nonnunquam autem liberalius entes, non has ſolum uirtutes appellant, quibus con- trij nihil eſt admixtum, ſed etiam ubi in mixtione quod bonum eſt & laudabile præpollet. Cuiuſmo- eſt hæc, quæ ſequitur continentia, quam Theages, diximus, ἡμιτελῆ ἀρετὴν uocat.

ΕΓΚΡΑΤΕΙΑ.

Ἐγκράτεια δέ ἐστιν, ἀρετὴ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, αθ' ἣν κατέχουσι τῷ λογισμῷ τὴν ἐπιθυμίαν ρμῶσαν ἐπὶ τὰς φαύλας ἡδονάς.

CONTINENTIA.

Continentia uerò eſt animæ par- tis, in qua cupiditas reſidet, uirtus, qua in malas ruentem uoluptates cu piditatem ratione cohibemus.

Vt altera illa animæ pars, quam animoſam uoca- uimus, obedientia quadam & perſuaſione rationem ſequi-

ſequitur, utpote huius magis capax, ita hæc, tanquam à ratione alienior, non niſi ſubacta oppreſſaq; rationi concedit. Quare eam ſummo ſtudio aſsidue cohibere oportet, continenterq; eius uires labefactare & deijcere, ut tandem uel inuita ob imbecillitatem rationem ſequi cogatur. Vt enim hoc perſuaſa uolensq; faciat, idipſum certè fieri nequit, quod non ſolum hæc maximè bruta ſit & à rationis conſociatione alieniſſima, ſed etiam propemodum in plantæ & ſtirpis naturam degenerarit. Vnde non immerito ſacræ literæ hanc ipſam in nobis facultatem carnem appellantes, eius nobis mortificationem ubiq; præcipiunt. Eſt autem huius impefectæ & in pugna rationis cum cupiditate conſiſtentis uirtutis definitio apertè ſatis ab autore propoſita, cum nimirum eam eſſe dicat, qua cupiditatem in malas & noxias ruentem uoluptates, ratione cohibemus: Malas quidem uoluptates appellans uenereas, & in cibo & potu conſiſtentes, quorum uel immodicam quantitatem uel qualitatem ad palatum magis, quàm ad ſanitatem facientem uitioſè affectamus. Ratione autem cohibere, non quod cupiditas rationi, ut diximus perſuaſa concedat (fieri enim id nequit) ſed quod rationis nutu & arbitrio, uoluntas, quam προαίρεσιν Græci uocant, quæ animi eſt ueluti manus, ut inquit Theages, hanc irrationalem partem coërceat reprimatq;. Cæterùm hæc uia quædam

eſt ad

ad frugalitatem ſeu temperantiam, accliuis qui- & laborioſa primum, ut eſt uirtutis ſecundum ſiodum uniuerſa, ſed quæ paulò poſt & iucunda facilis reddatur. Facilis quidem ex conſuetudine: iucunda autem quod pro turpitudine honeſtatem, pro rporis titillationibus & effrenata præcipitiq; li- dine, animi tranquillitatem, læticiam ſtabilesq; uo- ptates conciliet. Atq; hæc quidem de his uirtutibus uæ animæ partium eſſe dicuntur. Deinde ad eas pro reditur autor, quæ totius ſunt animæ. Inter quas iu- ſtitiam primo ſubijcit loco, hanc eius definitionem adferens.

ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ.

Δικαιοσύνη δέ ἐστιν, ἀρετὴ ψυχῆς, διανεμητι- κὴ τοῦ κατ' ἀξίαν.

IVSTITIA.

At Iuſtitia eſt animæ uirtus, quæ ſuum unicuiq; pro dignitate & me- rito diſtribuit.

Dictum quidem eſt ſuperius, non inutile autem fuerit repetere & nunc, ut ſanitas quædam & ſingu- larum corporis partium, & totius eſt animalis, ita & ſingulas animæ partes ſuas & proprias obtinere uir- tutes, & totius eſſe quandam rectitudinem, in qua uir-

tutis ſplendor eſt maximus, ut hinc adeò boni uiri abſolutè ſimpliciterq; merito nominentur, non ſecus atq; ex totius corporis ſanitate, ſani ſimpliciter. Ex quo certè illud intelligere haud difficile eſt, hanc niſi alijs uirtutibus antecedentibus haberi non poſſe, quẽadmodum nec ſanitas totius, citra partium ſanitatem. Verum enimuerò dicat aliquis, ſi totum nihil aliud eſt quàm partes omnes ſimul acceptæ, neq; totius uirtus quicquam fuerit, extra uirtutum partium collectionem. In quo itaq; reliquæ fuerint uirtutes, is nimirum & iuſtus habeatur. Cui quidem ſic reſpondemus. Neque omnino nihil, qui ſic ſentiat, dicere, neq; penitus tamen ueritatem attingere. Nam & totum aliud quid eſt, quàm omnes ſimul acceptæ partes, & tamen forſitan neceſſe eſt, tales partium affectiones, totius conſequi conſimilem habitum. Quòd uerò totum nõ idem ſit quod partes ſimul omnes, hinc maximè intelligas. Domus enim totum quid eſt. Huius autem partes, ligna, lapides, lateres, ferramenta, & quæcunque alia ad eius ſtructuram deſiderantur. Verum hæc ut omnia adſint recteq; affecta ſint ſingula non quomodocunq; tamen ſe habentia domus erunt, ſed certa inſuper quæpiam requiritur compoſitionis ratio, quæ quidem citra partium ſingularum integritatem rectamq; affectionem inculpata non fuerit, aliud tamen ab illis habeatur. Eadem igitur arbitror, ratione & de ami-

de anima dicere licebit. Totum enim quid eſt: Hu-
iuſq; partes,quas ſuperius commemorauimus. Neque
tamen hæ quæcunq; inter ſe connexæ & compoſitæ ra
tione,anima fuerint,ſed certo quopiam modo, ipſiuſq;
naturæ maximè conuenienti. Neque uerò hic quem-
piam conturbari oportet, ſi & partes & compoſitio-
nem animæ tribui audiat. Nam & partes habet, ea
nimirum ratione, qua totum quid & eſt, & dicitur,
& fortaſſe compoſitionis cuiuſdam quamuis non
craſſæ iſtius & corporeæ particeps eſt. Si enim non,
ſed ſimplex quiddam ſit, dolore certè affici & pati
nequeat. Nunc autem multiplices ipſius ſunt affectio
nes, multiplices & morbi, neque ſanè curationis u-
nica eſt ratio. Quod ſi quis eò confugiat, ut per ac-
cidens ſeu per conſenſum animam pati dicat, per ſe
autem eſſe ab omni affectione liberam, id ipſum qui-
dem de ea, quæ rationis eſt compos ſeu animæ parte,
ſeu anima, rectè forſitan dici cenſeamus, de omni au-
tem,non rectè. Nam & animoſæ partis,& eius,quæ
à cupiditatum uehementia & multitudine ἐπιθυ-
μητικὴ Græcis dicitur, ſui ſunt & proprij morbi,&
quidem, ſi Ciceroni credimus, pernicioſiores pluresq;
quàm corporis. Suos autem propriosq; hoc loco
morbos cum dico, non ſic accipi uelim, quaſi non &
corpus ſimul afficiatur. Fieri enim hoc fortaſſe ne-
quit, ſed quod ipſius ſint primò & per ſe, per con-

ſenſum autem corporis. Vnde & hæc ab Ariſtotele in φυσιογνωμικοῖς ſumpta ὑπόθεσις. καὶ τοὐναν-τίον δ' ἐν τοῖς τῆς ψυχῆς παθήμασι τὸ σῶμα συμ-πάσχον, φανερὸν γίνεται περί τε τὰς ἔρωτας, καὶ τοὺς φόβους τε καὶ τὰς λύπας καὶ τὰς ἡδονάς. Nam ut ebrietas & febris, reliquiq; corporis morbi animum ſæpenumero tentant, ita & ira, timor, amor, in corpus uergunt. Verùm de his aliâs dabitur commodior diſputandi locus. Nunc ad rem reuertamur. Cum igitur iam ſatis conſtet, animam præter partes aliud quid inſuper eſſe, & hoc utique confectum iam arbitror, illi propriam quandam tribuendam eſſe uirtutem, quæ fortaſſe, ut ſuperius dixi, partium animi uirtutes conſequatur, diuerſa tamen ab his ſit. Quanquam omnino & id controuerſum eſſe uidetur. Nam in domo ſanè, iiſq; quæ ab arte fiunt, non ſequitur ſi ſingulæ rectè ſint affectæ partes, & totum illicò rectè ſe habere, ſed ut totum rectè ſe habeat, illud prius eſſe neceſſe eſt. In iis autem, quæ natura ſunt, quoniam intus opifex latet, res ambiguitatem non paruam peperit, Aliis nimirum aſſerentibus quod calidi, exempli gratia, frigidi, humidi & ſicci bonam temperiem, optima neceſſario conſequatur conformatio, Aliis uerò ad diuiniorem eam referentibus originem. Verùm quoniam de his & ſimilibus in iis, quantum res exigit, diſſeremus commentariis,

tarijs, quæ in Ariſtotelis Moralia inſtituimus, non eſt quod hic prolixiores ſimus. Quare ad definitionis ipſius explicationem progrediamur, illud tamen prius ſi conſtituerimus, cum multis modis iuſtitia dicatur, quamnam hic tandem Ariſtoteles definiat. Dicitur enim iuſtitia, & uniuerſa uirtus, & ea quæ uirtutis totius in parte collocatur. Rurſus huius alia eſt, quam diſtributiuam, alia uerò, quam commutatiuam uocant. Et ex alia rurſus diuiſione, iuſtitia hæc quidem abſolutè ſimpliciterq́; dicitur, ut politica, illa uerò cum adiectione ſemper, ut herilis, patria, maritalis. Tot igitur modis, & fortaſſe pluribus, ſed qui Theologici potiùs, quàm noſtri ſunt inſtituti, cum iuſtitia dicatur, de ea hanc definitionem intelligere oportet, non quam, ut quiſpiam fortè opinetur, ex uerbis in errorem impulſus, Græci διανεμητικὴν appellant, neq; quam, huius taquam genus, cum ſit, uirtutis totius in parte collocamus: ſed quam totam uirtutem ſuperius eſſe diximus. Atque hanc quidem nonnunquam ipſam, non admodum curioſè à uirtute diſcernere laboramus, cum ut talem animæ ſimpliciter habitum, eam conſideremus, id eſt, quatenus eum, in quo eſt, in ſe conſideratum perficiat & abſoluat, interdum uerò, etſi ſubiecto idem ſunt, ratione tamen inter ſe differre cenſemus, cum quem ad alium relatum obtinet uſum, exactius æſtimamus, &

ut ciuile quoddam bonum ipſam contemplamur. Iuſtitiam igitur hoc modo appellatam, animæ uirtutem eſſe inquit, Virtutem quidem ut genus, ut in alijs, in definitione collocans, Animæ autem, ut differentiam à ſubiecto, in quo ea conſiſtit uirtus, ſumendam. Nam cum reliquæ uirtutes animæ parte in aliqua, hæc in tota nimirum ipſa conſiſtit. Quod uerò deinceps ſequitur, διανεμητικὴ τῶ κατ᾽ ἀξίαν, id eſt, ut uerbum uerbo reddamus, pro dignitate diſtributiua, id ſanè communiter, & non propriè hoc loco accipiendum. Neque enim τὸ διανεμητικὴ, ſic intelligere in hac definitione oportet, ut τῇ ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτικῇ opponatur, ſed potius, ut talem animæ rectitudinem ſignificet, quâ fit, ut primò quidem in homine, tantum unicuiq; animæ parti, quantum dignitas eius poſtulat rectáq; iubet ratio, tribuatur ac concedatur, uel ut apertiùs dicam, ut omnes inter ſe animæ partes conſentientes & ueluti conſpirantes, hæc quidem legitimè imperare, illæ uerò obſequi nouerint, & hæc quidem prouidentia multipliciq; rerum experientia inſtructa clauum teneat quieta, illæ uerò ex hac totæ pendentes, ad eius nutum moueantur. Deinde uerò ſic præparati & ſocietatem coniunctionis humanæ munificè & æquè tueamur, quod ſuum cuiq; eſt tribuendo, quod ſanè non in præmiorum & pœnarum debita diſtributione, quan-

quàm magna quidem ex parte, conſiſtit tantum, ſed etiam in officiorum utilitatum totiuſq; adeò uitæ æquabili quadam communicatione. Atq; hæc quidem Ariſtotelis uerborum mihi eſſe ſententia uidetur, ut hæc iuſtitiæ definitio, & hominis quatenus homo, & quatenus Reipub. pars eſt, perfectioni utriq; ex æquo conueniat, quarum mihi alteram quidem definiſſe Theages, alteram uerò Iuriſperiti ſeparatim uidentur. Et utriq; pro inſtituto ſuo rectè. Nam Theages quidem eam ut hominis per ſe conſiderati perfectionem inſpexit. Iuriſperiti uerò, ut politicum quoddam & in conuictu ſocietateq; humana conſiſtens bonum. Inquit igitur ille in libro Περὶ ἀρετῆς hunc in modum: καὶ ἔστιν ἁ δικαιότας σύνταγμά τι τᾶς ἁρμογᾶς τῶν μερέων τᾶς ψυχᾶς, καὶ ἀρετὰ τελεία καὶ πανυπερτάτα, id eſt, Et eſt iuſtitia, coniunctio quædam cõcentus animæ partium, & uirtus perfecta atq; ſuprema. Vlpianus autem, ut habetur libro primo Digeſtorum Titul. 1. de Iuſtitia & iure, eam ſic definit: Iuſtitia eſt conſtans & perpetua uoluntas, ius ſuum cuiq; tribuendi. Ac de iuſtitia quidem ſatis dictum exiſtimo. Sequitur ut de liberalitate agamus, cuius hæc apud autorem ſequitur definitio.

ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΤΗΣ.

Ἐλευθεριότης δέ ἐστιν, ἀρετὴ ψυχῆς, εὐδάπανος εἰς τὰ καλά.

LIBERALITAS.

Liberalitas autem animæ eſt uirtus, rectè ſumptum in res honeſtas faciendi.

De liberalitatis ſubiecto, & cuius, hæc ſit uirtus, totiúsue animæ, ut hoc loco uelle autor uidetur, an uerò potius animæ partis alicuius eius nimirum, quæ cupiditatis eſt, ut eſt à nobis libro quinto commentariorum in Cebetis tabulam demonſtratum, non immerito utiq; dubitet aliquis. Nam ſi quis ad ea, quæ à Platone nono libro de Repub. dicuntur, reſpiciat, quod nimirum hæc animæ pars non ſolum φιλήδονος ſit, cuius occaſione temperantiam eius uirtutem eſſe ſtatuimus, ſed etiam φιλοκερδὴς & φιλοχρήματος, Ariſtoteles autem libro quarto Moralium ad Nicomachum liberalitatem περὶ χρήματα μεσότητα, eſſe aſſerat, non totius animæ liberalitatem uirtutem, ſed cupidineæ potius partis eſſe iudicabit. Rurſus autem ſi in hanc Ariſtotelis, ſeu quicunq; huius tandem libri ſit autor, definitionem intueatur, totius eam animæ exiſtimabit. Atqui fieri nequit, ut

utrunq; uerũ ſit,cum unam eandemq; uirtutem & totius animæ eſſe & partis,contradictionem neceſſario ſecum trahat, quod hac ratione & totius & nõ totius eſſe ſimul ſtatuatur. Quid igitur ad hæc dicemus? Neque enim ut iis,quæ ſunt à nobis & Platone tam firmis argumentis probata,diffidamus, neque ut rurſum Ariſtotelem penitus nihil uidiſſe, ſed,quod dici ſolet, toto aberraſſe cœlo ſtatuamus par eſt. An ut iuſtitiam aliam,quæ totius,aliam,quæ partis rationem obtinet eſſe dicimus, & illam quidem totius animæ uirtutem cenſemus,hanc uerò partis eius, cui cupiditas tribuitur, ſic & liberalitatem duplicem faciemus? quarum altera in cibi & potionis ac uenereorum reliquorúmque eodem pertinentium, ac uel ad corporis indiuidui,uel generis conſeruationem facientium cupiditates decorè ſumptus faciat,altera uerò non in hæc ſolum, atque huius tantum animæ partis cupiditates, ſed etiam in politioris humanitatis & literarum ſtudia, artésq; ac diſciplinas ingenuas, atque ipſam adeò philoſophiam,quæq; ad æſtimatricis animæ partis appetitus referuntur reliqua,pecuniam impendere pro ratione modoq; & norit & uelit. Conſimili autem modo & in ea,quæ ad uictoriam & honorem pertinent,& ſi quæ ſunt alia,quæ animi excelſi atq; inuicti magnitudo ac robur appetit. Neque uerò id mirum cuiq; uideatur,quod liberalitatem aliã omnium

animæ partium communem eſſe ſtatuamus, aliam uerò cupidineæ partis propriam, ſed ſciat, conuenienter id à nobis fieri, quod in quas ſumptus faciendi ſunt cupiditates, quas ἐπιθυμίας Græci uocant, eæ nunc quidem promiſcuè & communiter omnibus partibus tribuantur, ut cum diſcendi & ueri cognoſcendi, item libertatis, uictoriæ, honoris & imperij adipiſcendi, ad hæc uerò & corporis uires cibo & potione reficiendi, rebus venereis utendi cupiditate nos teneri dicimus: nunc uerò peculiari quadam ratione contrahantur & ad eam animæ partem quaſi in anguſtum deducantur, quæ ex cupiditatum, quæ in ipſa ſunt, multitudine ac uehementia propter excellentiam ſola propriè commune τοῦ ἐπιθυμητικοῦ nomen, ut Homerus apud Græcos poëtarum, poßidet. Sed hæc quidem ſi ſic ſe habent, rectè liberalitatem totius animi uirtutem hic ab autore dictam eſſe conſtat, quod communem illam, &, ut quis dixerit, uniuerſalem, non autem, quæ ut totius pars quædam eſt, nunc ſibi definiendam propoſuerit. Inquit igitur liberalitatem totius animæ eſſe uirtutem, quod quam uim habeat, quaq; ratione ab ipſo dictum ſit, ex ſuperioribus iam patet. Quod uerò ſequitur, ſumptum faciendi, id ipſam à iuſtitia & magnanimitate ſeparat, quæ & ipſæ totius animæ uirtutes ſunt quædam: ſed quarum altera in ſuum cuiq; tribuendo, altera in perferendo

pro-

proſperam & aduerſam fortunam, honorem & ignominiam, uerſatur: ea autem, qua de nunc agimus, non in his, ſed in eo, quod dictum eſt, uim ſuam poſitam habet. Cæterum ab eo, quod huius uirtutis maximè proprium eſt, hæc facta eſt definitio. Nam in erogatione pecuniæ impenſæq; facienda, hæc potiſsimum uirtus cernitur. In non acquirendo autem unde non oportet, & unde oportet acquirendo, potius iuſtitia. Sed quoniam & luxuria ſeu prodigalitas, huic oppoſitum uitium, in eodem uerſatur, ut & ab hac diſcernatur liberalitas, adiectum in definitione eſt, rectè, & in res honeſtas, quod luxuria nec rectè, ſed effuſè & ubi non oportet, & quando, & quibus, quæq; reliqua cum recta pecuniæ erogandæ ratione pugnant, nec in res honeſtas, ſed uanas noxiasq; uoluptatum cupiditates impendat ſumptumq; faciat. Honeſtas autem res hoc loco dicit, quæ deceant, & quorum nos minimè pudeat, ſimpliciterq; quæ inhoneſtis atque turpibus ſunt contraria. Atque hæc quidem huius uirtutis ſit explicatio. Nunc ad magnanimitatem tranſeamus quam ſic nobis definit autor.

ΜΕΓΑΛΟΨΥΧΙΑ.

Μεγαλοψυχία δέ ἐστιν, ἀρετὴ ψυχῆς, καθ᾽ ἣν δύναται φέρειν εὐτυχίαν καὶ ἀτυχίαν, καὶ τιμὴν καὶ ἀτιμίαν.

MAGNANIMITAS.

Magnanimitas uerò animæ eſt uirtus, qua perferre proſperam & aduerſam fortunam, honorem & ignominiam queamus.

Si in Græcæ uocis rationem ac compoſitionem intueamur, totius hanc animæ eſſe affectionem ac uirtutem non immerito iudicabimus: ſi uerò in definitionis eam partem, quæ tanquam differentia quædam à ſubiecto, ſeu obiecto, ut loquuntur, ſumenda generi eſt adhibita, non totius illam animæ, ſed potius animoſæ eius partis eſſe cenſebimus, quod perferre poſſe proſperam & aduerſam fortunam, honorem & ignominiam primò & per ſe ad hanc pertinere uideatur. Sed priorem illam ut ueriorem ſententiam ſequitur autor, neq; uerò id iniuria. Nam ſi rectè libro Ethicorum ad Nicomachum quarto ab Ariſtotele dictum eſt, magnanimum eum eſſe, qui rebus magnis dignum ſé eſſe cenſeat, dignus cum ſit: magnis autem rebus neminem dignum eſſe poſſe, in quo non omnis ſit uirtus, neq; uerò ſolum ea ſimpliciter, ſed etiam cum excellentia quadam magnitudineq́;, non dubium id quidem eſt, quin quæ totius animi rectam & præclaram conſtitutionem ſequitur, ſeu affectio, ſeu uirtus, ea

quoq; totius animi ſit iudicanda. Et omnino, ſi quid ego iudico, ita ſe res habet. Quod in corpore, totius corporis eſt ſanitas, id in anima iuſtitia: quod uerò ibi bona corporis habitudo, quàm εὐεξίαν *Græci nominant, id hic rurſus magnanimitas. Itaque ut illic, quæ Ariſtotelis & Ciceronis eſt ſententia, corporis bonam habitudinem tumor imitatur ſæpè, ita & hic magnitudinem animi, elatio & ſuperbia. Conſequitur autem hanc rectam animi affectionem, ſeu potius pars quædam eius eſt, firmitas ac robur, quo inſtructi ac præparati omnem facilè ac generoſè fortunam feramus, nec proſpera turgeſcentes & tumentes, nec fracti aduerſa: quod & ipſum in corporis affectionibus eſt deprehendere, ubi bonam habitudinem, uirium quoq; præſtantia & excellentia ſequitur. Atque hactenus quidem omnia ſibi mutuo ſatis ſunt conſentanea, iiſq;, quæ in corpore conſpiciuntur, affectionibus, iam dicti animi habitus, proportione comparationeq; exquiſitè reſpondent. De tertia autem corporis affectione, pulchritudine nimirum, quid dicemus? cui potiſſimum eam animi affectioni ſimilem eſſe ſtatuemus? Vtrum & huic eidem comparabimus? quod certè Ariſtoteles facere uidetur, cum inquit, In magnitudine enim cernitur magnanimitas, quemadmodum & pulchritudo in magno corpore. Qui uerò parui ſunt, belli, ſic enim* ἀστείους *hoc loco interpretor,*

pretor, Martialis illo diſticho commonefactus:

Bellus homo, & magnus uis idem Cotta uideri.

Sed qui bellus homo eſt, Cotta, puſillus homo eſt.

& mediocres atque concinni, pulchri autem nequaquam ſunt. Et rurſus *non ita multò poſt,* Videtur *itaque magnanimitas quaſi ornamentum quoddam uirtutum eſſe. An uerò potius corporis pulchritudini liberalitatem aßimilabimus?* Neq; *enim ratione carere & id uidetur, non eam ſolum ob cauſam, quanquam etiam, quod, ut annotant* Grammatici, *liberales non modo dicantur benigni & munifici, ſed etiam per translationem quandam ab animo ad corpus, pulchri & ingenuæ formæ homines,* Vnde *apud* Terentium Parmeno,

– hem Eunuchum tibi

Quàm liberali facie, quàm ætate integra?

quod ueluti interpretata Thaïs *ſubijcit,*

Ita me Dij ament, honeſtus eſt: τοῦτ᾽ ἐστὶ, καλός.

Sic enim apud Menandrum *fuiſſe credo, quæ certè uerbi translatio, niſi ſubeſſet ſimilitudo, & corporis hæc affectio ad illum animi habitum quandam ſeu proportionem ſeu conuenientiam haberet, nec inſtituta unquam, nec recepta fuiſſet: ſed etiam quod animaduertamus ad conciliandum amorem nullam hac uirtutem aliam plus pollere potioremq; eſſe, ut hac nimirum ratione, quod in corpore eſt pulchritudo,*

id in

id in animo liberalitatem eſſe non malè dicamus. Sed de his quilibet, ut uolet, conſtituat. Nos autem quam uim autoris definitio habeat conſiderato, ad reliqua progrediamur. Quod igitur magnanimitas animæ uirtus eſſe dicatur, id quid ualeat, ex præcedentibus iam patet. Quod uerò differentiæ loco, ab obiecto, in quo cernitur hæc uirtus, ſumptæ, deinceps ſequitur, qua perferre proſperam & aduerſam fortunam, honorem & ignominiam queamus, id ita intelligendum, ut duplex huic uirtuti ſubiectum ab autore ſit aßignatum: & alterum quidem, in quo primo ac maximè uerſetur, honorem & ignominiam: quorum illum, ſi à uiris probis & ob res præclarè geſtas ipſi deferatur, admittet, probabit, delectabitur moderateq; feret, tanquam quæ ipſi congruentia & conuenientia ſint, aut etiam minora, quod æſtimatione ac precio omni longè maior ſit uirtus, conſecutus: Si uerò aut à malis, aut quibuslibet & ob parua quædam ac uulgaria, contemnet, aſpernabitur, & indignum ſe ſuaq; uirtute & præſtantia iudicabit: Hanc autem, nullius nec mali, nec turpitudinis, nec omnino quod ignominiam & infamiam mereatur, ſibi conſcius (qui enim poteſt in quo eſt uirtus?) non curabit, deſpiciet ac pro nihilo putabit. Alterum uerò, in quo ſecundario cernatur loco, proſperam & aduerſam fortunam. Nam & harum utranq; moderatè feret, ut nec
rebus

rebus ſecundis efferat ſe inſolenter lætitiaq́ exultet, nec aduerſis debilitetur animumq́; demittat. Cæterum ſecundario in his uerſari magnanimitatem, non autẽ primo dicimus, quod qui magno & excelſo ſunt animo, facultates rerum atq; copias, opes, potentiam reliquaq́; eiuſdem generis non propter ſe, ſed propter honores, qui hinc conſequuntur (diuites enim, opulentos, potentes honorari uidemus) ſibi expetendas eſſe arbitrentur. Sed hoc loco fortaſſe non immerito quærat aliquis, ſi hæc, quæ à nobis dicta ſunt, ita ſe habeant, & honor quidem ac ignominia, huiuſmodi ſint, ut in his moderatè, & ut oportet, ferendis per ſe & primò uerſetur magnanimitas, proſpera uerò & aduerſa fortuna, talia, in quibus nec per ſe, nec primò, ſed ſecundario, ut dictum eſt, loco, & propter illa, cur ordinem hic inuertit autor, & in quo hæc primò uerſatur uirtus, poſteriore, in quo ſecundario, priore poſuit loco? An quod proſpera & aduerſa fortuna, ad honorem & ignominiam ſe habeant, ut genus ad ſpeciem? Omnia enim externa bona, ad ſecundam fortunam: & ad aduerſam mala referunt Peripatetici. Quanquam non ea ſolum de cauſa, id ab ipſo factum uidetur, ſed & ob hoc non minus quod in eiuſmodi definitione à communioribus ſemper ad ea, quæ definiendo propria ſunt, quæq́; in aliam ſpeciem non conueniant, ſit progrediendum.

Itaq;

Itaq; genus primo ponitur loco, ut hic uirtus. Deinde, ut quæq; differentia latius pateat, ad pluresq; pertineat ſpecies, hoc etiam generi propior adiungitur. Poſtremò autem loco, quod cuiuſq; maximè eſt proprium collocatur, quod & hic factum uidemus. Nam honorem & ignominiam, aliarum nulla uirtutum ſubiectum ſibi, & in quo uerſetur, habet: ea autem bona, in quibus & proſpera & aduerſa fortuna conſiſtit, non huius ſolum, ſed etiam iuſtitiæ & liberalitatis ſunt ſubiecta, ut ex ijs, quæ ſuperius ſunt dicta, patet. Quanquam & in his, quæ accidunt mutationes conuerſationesq; ſtatus, & in alterutram partem temporum ac momentorum inclinationes generoſè ferre, huius proprium uirtutis eſſe uideatur, niſi quis fortè hoc & in fortitudinem conuenire putet, quæ habet nonnullam & cum hac uirtute naturæ communionem. Sed explicatis uirtutum definitionibus ſequitur ut ad uitia progrediamur, quarum primæ, hæc apud autorem eſt definitio.

ΑΦΡΟΣΥΝΗ.

Ἀφροσύνη δέ ἐστι, κακία λογιστικοῦ, αἰτία τοῦ ζῆν κακῶς.

INSIPIENTIA.

Inſipientia autem, æſtimatricis

partis eſt uitium, malè uiuendi cauſa.

Cum dupliciter inſipientia dicatur, ut eſt à nobis libro primo commentariorum in Cebetis tabulam explicatum, & altera quidem κατ᾽ ἀπόφασιν, *id eſt, ſecundum negationem appelletur, altera uerò* κατὰ διάθεσιν, *id eſt, ſecundum affectionem, non iniuria quærat aliquis, utram harum hoc loco definierit autor, illámne priorem, quæ prudentiæ abſolutam priuationem ſignificat? An uerò potius hanc poſteriorem, quæ* κατὰ διάθεσιν *eſſe dicitur? Neque enim quæ* κατ᾽ ἀπόφασιν *nominatur (eſt autem ea abſoluta & ſimplex planeq; talis, qualem imperitorum & rudium, qui ſuæ ſibi ignorationis & inſcitiæ probè ſunt conſcij, eſſe dicimus) actuoſa eſt, ut ullum habeat momentum, quod alicuius quidem certè ſit æſtimationis, ad uitam uel beatam uel miſeram. Cæterum cum poſterior hæc, quæ in falſa opinione & rationis ac mentis aberratione cernitur, in duas diuidatur ſpecies, alteram quidem, qua ſimpliciter quid aliter, atque ſe habet, habere exiſtimamus (Vocetur autem hæc, quo ab altera diſcernatur, opinatrix) alteram uerò, quæ ratiocinatione conciliatur, quam proinde ratiocinatricem appellare non incommodum fuerit, de utraque in hac agi definitione, cenſendum, quod*

utraq;

utraq; eorum, quæ in uita perperam gerũtur, ſit cauſa. Eſt autem ipſa definitio ſatis aperta, maximeq; ſi quis prudentiæ definitionem rectè ſit aſſequutus. Inquit igitur inſipientiam eſſe æſtimatricis partis uitium, quod quid ualeat quemuis per ſe ex iis, quæ ſæpius iam antè dicta ſunt, intelligere poſſe arbitror. Quod uerò deinceps ſubiicitur, malè uiuendi cauſa, id ſic dictum eſſe exiſtimare oportet, ut cum eo pugnet, quod in prudentiæ definitione ponebatur; ad comparanda ea, quæ ad beatitudinem pertinent idonea. Nam ut prudentia, quæ non ſolum cæterarum uirtutum domina eſt & moderatrix, ſed totius etiam uitæ omniumq; particularium actionum gubernatrix, utpote facultas animiq; in nobis uis conſultrix & prouida utilitatum opportunitatumq; omnium, beatitudinis potiſſimum nobis eſt cauſa. Videntur enim ad hanc collata non externa ſolum & corporis appellata bona, ſed etiam animi reliqua, organicam quandam & inſtrumentariam ſubire naturam, ut in Platonis Euthydemo uult Socrates: ita & inſipientia infelicitatis & miſeriæ, cum inconſiderata quædam animi ſit affectio, conſiliis præceps & deuia, quæ nec rectè prouidere, nec præſentibus benè uti queat. Vel igitur hoc modo poſtremam hanc definitionis partem intelligere oportet, ut malè, id eſt, infeliciter, miſerè & ærumnoſè uiuendi eam cauſam eſſe dixerit: Vel, ut

malè, flagitioſè, turpiter, ac uitioſè exponamus, aut quod magis placet, utroque modo, quod κακῶς ζῆν, utrunq; apud Græcos ſignificet. Et definitionis quidem hæc uis. Cæterum quoniam omnis uirtus eſt, ut placet Peripateticis, mediocritas, quæ eſt inter nimium & parum, ſeu exuperationem & defectionem, eſt autem & prudentia uirtus, ut ſuperius eſt traditum, operæpretium fuerit conſiderare, inter quæ ipſa ſit mediocritas, & quomodo inſipientia ad eam ſit affecta: utrum ut exuperatio, an uerò potius ut defectio? Certè qui inſipiens eſt, quoniam in errore falſaq; opinione uerſatur, & pro ueris quidem falſa, pro bonis uerò & utilibus noxia malaq; amplectitur, mentis inopia ipſum laborare, & rationem imperfectam habere manifeſtum eſt. Vnde ad defectionem & quod parum eſt, pertinere inſipientiam, rectè dixerimus. Quænam autem hic ſit exuperatio, de eo non perinde promptè quis forſitan conſtituerit. Nam ſi quis in uoces ſolum intueatur, τὸ ὑπερφρονεῖν τοῦ φρονεῖν, ut exuperantiam mediocritati, opponendam exiſtimabit, maximeq; & Pauli illo in Epiſtola ad Romanos loco id quodammodo indicante. λέγω γὰρ διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι, παντὶ τῷ ὄντι ἐν ἡμῖν, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Sed ſi rurſus diligentius in mentem Apoſtoli introſpiciat, inueniet hic

τὸ φρονεῖν pro uerbo medio,id eſt, quod nec bonam, nec malam ſignificet affectionem uſurpatum: neq; uerò ad prudentiam pertinere, ſed ad opinionem & exiſtimationem,quam de ſe quis habeat: ut ὑπερφρονεῖν hoc loco nihil aliud ſignificet, quàm quod præcedenti cap. ὑψηλοφρονεῖν, id eſt, alto & elato animo eſſe, & magnificè de ſe ſentire, quod & μεγαλοφρονεῖν Græci uocant. Huic autem uitio oppoſuit Paulus τὸ σωφρονεῖν, id eſt, modeſtè de ſe ſentire. Quare quantum quidem ad hæc attinet, nondum ea, quam quærimus exuperatio inuenta eſt. Neq; tamen eam ob cauſam deſiſtendum arbitror, ſed conſiderandum ecquid ea, quam Cicero nunc calliditatem, nunc malitiam uocat, & prudentiam eſſe uideri uelle, & in officijs & in partitionibus oratorijs aſſerit, hæc ſit, qua de nunc agimus, exuperantia. Nam primum quidem quod ab inſipientia ſit diuerſa & cum ipſa pugnet ac contraria ſit, hinc facile quis perſpiciat, quod inſipientia in aberratione & fruſtratione potiſſimum cernatur: malitia autem ſeu calliditas non ferè aberret illa quidem, ac fruſtretur, ſed ſcienter ac peritè in ſuo uerſetur negotio, quæ ad propoſitum finem aſſequendum faciunt, commodè inuentis, expeditis & confectis. Quod uerò uitioſitatis in parte ſit collocanda, quanquam probationis indigere non uidetur, ipſo id nomine ſatis ſignificante, tamen ex Cicerone

& Theage nonnulla, ex quibus id perſpicuum fiat, afferemus, quorũ ille in Oratorijs partitionibus hunc in modum inquit. Cernenda autem ſunt diligenter, ne fallant ea nos uitia, quæ uirtutem uidentur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in uoluptatibus aſpernandis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & iuſtitiam acerbitas, & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & uerecundiam timiditas, & illam diſputandi prudentiam concertatio, captatioq; uerborum, & hanc oratoriam uim inanis quædam profluentia loquendi. Studijs autem bonis ſimilia uidentur ea, quæ ſunt in eodem genere nimia. Theages autem in libro de uirtute: ἁ μὲν οὖν κακία τῶ λογιστικῶ μέρεος τᾶς ψυχᾶς ἐντὶ οἰκειοτέρα. προσέοικε γὰρ ἁ μὲν φρόνασις τᾷ τέχνᾳ, ἁ δὲ κακία τᾷ κακοτεχνίᾳ. διὰ μαχανάσιος γὰρ ποθευρίσκει τὸ ἄδικον, *id eſt, Ac malitia æſtimatricis animæ partis magis propria eſt. Nam prudentia quidem arti, malitia uerò maleficioſæ arti aſſimilis eſt. Machinatione enim atq; ſolertia quadam iniuſtitiam excogitat. Ex quibus quidem facile intelligitur, quam Cicero malitiam, Theages* κακίαν *appellat, non uniuerſæ uitioſitatis hic*

eſſe

eſſe nomen, quo tamen modo κακία ſæpenumero apud Græcos uſurpatur, ſed certi cuiuſdam uitij uocabulum, quod uterq; prudentiæ ut contrarium opponit: & Cicero quidem ijs annumerat extremis ac uitijs, quæ ad uirtutis ſimilitudinem propius accedunt, quæq; maximam partem ad exuperationem pertinent, ut ex ijs, quæ ſuperius ex ipſo adduximus patet. Theages autem & cuius animæ ſit partis indicat, & ex analogia quadam eius nobis naturam propius intuendam dat. Cæterum cui propter excellentiam commune uitioſitatis nomen propriè tribuit Theages, quamq; κακίαν appellauit, eam Plato & Ariſtoteles πανουργίαν nominant, uoce media in deteriorem partem uſurpata. Inquit itaq; ille in Epitaphio, ſeu Menexeno. πᾶσα τε ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία οὐ σοφία φαίνεται: quem locum ſic in Officijs expreßit Cicero. Scientia, quæ eſt remota ab iuſtitia, calliditas potius, quàm ſapientia eſt appellanda. Ariſtoteles autē libro ſexto Moralium ad Nicomachum de ingenio, ſeu induſtria, ſeu perſpicatia, ſeu quomodocunq; tandem, quam Græci δεινότητα, uocant, interpretandam quis eſſe cenſeat, loquens, hunc in modum inquit, ἔστι δή τις δύναμις, ἣν καλοῦσι δεινότητα. αὕτη δ᾽ ἐστὶ τοιαύτη, ὥστε τὰ πρὸς τὸν ὑποτεθέντα σκοπὸν συντείνοντα, δύνασθαι ταῦτα πράττειν, καὶ

τυγχάνειν αὐτῶν. ἂν μὲν οὖν ὁ σκοπὸς ᾖ καλὸς, ἐπαινετή ἐστιν. ἂν δὲ φαῦλος, πανουργία. Διὸ καὶ τοὺς φρονίμους, δεινοὺς καὶ πανούργους φαμὲν εἶναι. *Id eſt, Eſt itaq; uis quædam, quam induſtriam uocant. Hæc autem huiuſmodi eſt, ut quæ ad propoſitum ſcopum pertinent, ea & obire & exequi poſſit. Ac ſi finis quidem honeſtus ſit, laudabilis eſt: ſin uitioſus, calliditas. Quapropter & prudentes, tum induſtrios, tum callidos eſſe dicimus. Atq; ex his quidem perſpicuum eſt, eam, quam quærebamus exuperationem, à nobis iam eſſe inuentam. Eſſe enim hanc, quam diximus malitiam & calliditatem. Sed his explicatis tempus eſt, ut ad ſequentia pergamus & quid iracundiam autor eſſe definiat, audiamus.*

ΟΡΓΙΛΟΤΗΣ.

Ὀργιλότης δέ ἐστι, κακία τοῦ θυμοειδοῦς, καθ' ἣν εὐκίνητοι γίνονται ὑπ' ὀργῆς.

IRACVNDIA.

Iracundia uerò animoſæ partis eſt uitium, quo fit, ut ira facile commoueamur.

Qui ea, quæ ſuperius de lenitate ſunt dicta, re-

ctè eſt

ſtè eſt aſſecutus, ei difficile non fuerit, hanc iracundiæ definitionem intelligere. Nam cum lenitas, quàm & manſuetudinem appellare poſſumus, in mediocritate, quemadmodum & uirtus omnis, & moderatione quadam eius, in quo uerſatur, affectus conſiſtat, iramq; refrenare & ratione cohibere proprium ipſius ſit munus, iracundiam nunc eſſe dicit Ariſtoteles, huic uirtuti contrarium uitium, quod eſt quidem animoſæ animæ partis (ſic enim τὸ θυμοειδὲς interpretor) pertinet autem ad exuperantiam, cum hoc fiat, ut ad iram ſimus procliuiores, ac non ſolum facile & nulla plerunq;, aut certè non ſatis iuſta cauſa concitemur, ſed uehementius etiam, quàm oporteat, ac in eos non raro, in quos minimè conuenit. Eſt uerò & aliud uitium, quod ad defectionem pertinet, quod & ipſum manſuetudini opponitur, quod nunc quidem nomine carere, inquit Ariſtoteles, nunc uerò ἀοργησίαν appellat, Cicero lentitudinem interpretari uidetur, cuius ea eſt ratio, ut qui hac affectione præditi ſint, aut prorſus non incitentur, aut minus quàm res poſtulet, certè ignaui frigidiq; eſſe uideantur. Et hæc quidem de his. Sed antequam ad ea, quæ ſequuntur, progrediamur, eius admonere prius oportet, noſtrum autorem, ea tantum uitia ſibi definienda hoc opere propoſuiſſe, quæ magis cum uirtutibus pugnent longiúſque à mediocritate receſſerint, aut certè ad quæ propenſiores

penſiores ſimus, ut ſingula intuentibus perſpicuum eſt.

ΔΕΙΛΙΑ.

Δειλία δέ ἐστι, κακία τοῦ θυμοειδοῦς, καθ' ἣν ἐκπλήττονται ὑπὸ φόβων, καὶ μάλιστα τῶν περὶ θάνατον.

TIMIDITAS.

Timiditas autem animoſæ eſt partis uitium, quo fit, ut terrore facile horreſcamus, potiſſimúmque mortis.

Non eſt quod in huius, aut reliquorum ſequẽtium uitiorum definitionibus explicandis prolixiores ſimus. Nam qui rectè uirtutum his oppoſitarum cuiuslibet rationem ac naturam ex noſtra explanatione eſt aſſecutus, is uel me tacente, quam quidlibet, quæ in uitiorum definitionibus ponuntur, uim habeat, intelligere facile poterit. Quare contenti erimus breui quadam enarratione & expoſitione reliqua percurrere, niſi quæ forte uox alicubi incidat, latioris indigens explicationis. Inquit igitur autor: Timiditatem animoſæ partis uitium eſſe, quod eam nimirum eneruando, ipſiusq; magnitudinem & robur infringendo, ad proprium opus deteriorem reddat, eoq; fieri ut,

qui hoc laborent morbo, terrore facile horreſcant, ac potiſſimum mortis, quæq; mortem minari uidentur pericula, ac turpem & infamem uitam honeſtæ morti præferant. Ac timiditatis quidem hæc eſt ratio, quæ fortitudini oppoſitum eſt uitium, ad defectionem pertinens, ſi minus totum, at maiorem certè partem, quod qui ſic affectus eſt, is audacia animiq; robore deſtituatur, ac huius adeo ipſius occaſione plus iuſtò ſit timidus, ac ut loquitur Ariſtoteles τῷ φοβεῖσθαι ὑπερβάλλων. *Huic autem uitio, quod ad defectionem pertinere diximus, aliud oppoſitum eſt uitium in exuperatione conſiſtens, quod Græci* θρασύτητα, *Latini nunc audaciam, nunc confidentiam uocant, quod uirtutis & fortitudinis ſpeciem ementitur, unde* ἀλαζονικόν *quoddam hoc uitium eſſe uidetur.*

ΑΚΟΛΑΣΙΑ.

Ἀκολασία δέ ἐστι, κακία τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, καθ' ἣν αἱροῦνται τὰς φαύλας ἡδονάς, μὴ κωλύοντος τοῦ λόγου.

INTEMPERANTIA.

At intemperantia animæ partis eſt uitium, in qua cupiditas eſt col-

locata,

locata, per quod efficitur, ut prauas uoluptates expetamus & aſciſcamus, non prohibente ratione.

Ἀκολασίας uocem, ſi exquiſitè interpretari uelis, apud Latinos haud temerè nomen, quod uſitatum adamuſsim ipſi reſpondeat, inueneris, quod & Gellius libri decimi noni capite ſecundo annotauit. Dicitur autem, ut libro Moralium ad Eudemum tertio autor eſt Ariſtoteles, ἀκόλαστος multis modis. Eius hoc loco uerba ſubijciam, ut huius uitij natura melius percipiatur. Λέγεται δ' ὁ ἀκόλαστος, *inquit,* πολλαχῶς. ὅτε γὰρ μὴ κεκολασμένος πως, μηδ' ἰατρευόμενος, ὥσπερ ἄτμητος, ὁ μὴ τετμημένος. καὶ τούτων ὁ μὲν δυνατὸς, ὁ δ' ἀδύνατος. ἄτμητον γὰρ τό, τε μὴ δυνάμενον τμηθῆναι, καὶ τὸ δυνατὸν μὲν, μὴ τετμημένον δέ. τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὸ ἀκόλαστον. καὶ γὰρ τὸ μὴ πεφυκὸς δέχεσθαι κόλασιν, καὶ τὸ πεφυκὸς μὲν, μὴ κεκολασμένον δὲ περὶ ἁμαρτίας, περὶ ἃς ὀρθοπραγεῖ ὁ σώφρων, ὥσπερ οἱ παῖδες, κατὰ ταύτην γὰρ ἀκόλαστοι λέγονται τὴν ἀκολασίαν. ἔτι δ' ἄλλον τρόπον οἱ δυσίατοι, ἢ ὅλως ἀνίατοι πάμπαν διὰ κολάσεως. *Id eſt, Dicitur autem* ἀκόλαστος, *quem, ſi recipitis, incaſtigatum interpretabor, multipliciter. Nam & qui caſtigatus quodámodo non*

eſt,

eſt, neq; curationem nactus, perinde ut indiuiduus, qui diuiſus non eſt: & horum alius eiuſmodi eſt, ut poßit, alius ut nequeat. Indiuiduum *enim eſt, & quod diuidi nequit, & quod diuidi quidem poteſt, non tamen diuiſum eſt.* Eodem *modo & incaſtigatum.* Nam *& quod caſtigationem admittere natura non ſolet, & quod ſolet quidem, ſed caſtigatum non eſt in ijs peccatis, in quibus rectè ſe gerit temperans, ut pueri.* Ex *hac enim* ἀκολασία, *id eſt, ut ſic dicam, incaſtigatione, incaſtigati dicuntur.* Inſuper *autem & alio modo, qui difficulter ſanabiles, aut etiam nulla prorſus caſtigatione ſanabiles ſunt.* Ex *quibus* Ariſtotelis *uerbis, tribus modis* ἀκόλαστον *dici perſpicuum eſt.* Primo, *cuius natura ab omni caſtigatione eſt aliena, nec eius ullo modo capax.* Sic *apros & hircos* ἀκολάστους *dicimus, & ſi quæ, id genus ſunt reliqua.* Secundo, *quod caſtigationem quidem recipit, ſed negligentius tractatū, animaduerſioneq; & caſtigatione debita deſtitutum, in uitia uoluptatisq; libidines propendet.* Quo *ſanè genere pueros ſibi permiſſos* ἀκολάστους *uocamus, & per translationem quandam, ex adultis etiam eos, in quibus, quæ rationis eſt compos animæ pars, eam quæ cupiditatis eſt, non caſtigat, coërcet ac reprimit.* Tertio *autem modo* ἀκόλαστοι *dicuntur, in quibus hæc rationis expers ſeu facultas, ſeu pars intantum aucta eſt ac ſuccreuit, ut nulla*

corrigi

corrigi deinceps ratione poſsit, aut certè non niſi maxima cum difficultate. Tot *igitur modis* ἀκόλαςος *&* ἀκολασία *cum dicatur, eam hoc loco ab autore definiri, intelligi par eſt, ad quam duo poſteriora* τῶν ἀκολάςων *genera ſunt annominata. Definit autem eam hoc modo, ut cupidineæ eam partis uitium eſſe dicat, quo prauas uoluptates expetimus & aſciſcimus, non prohibente ratione. Nam ſic omnino hæc definitio legi debet, ut, non prohibente ratione, ipſi addatur. Eſt autem hæc ſententia. Intemperantiam nimirum tale eſſe cupidineæ partis uitium, in quo ſuccumbente penitus nec quicquam reluctante ratione, ſed tanquam mancipium quoddam affectum dominum ſequente, indomita atq; effrenata cupiditas ad amplectendas uoluptates malas tota feratur. Cæterum cum multa malarum ſint uoluptatum genera, de iis nunc loqui autorem potiſsimum intelligere oportet, quæ tactu ac guſtu percipiuntur, ut libro tertio Ethicorum ad Nicomachum docet Ariſtoteles. Et hanc ego intemperantiæ pleniorem definitionem eſſe exiſtimo, quæ in Ioannis Stobæi Collectaneis malè incontinentiæ tribuitur, quemadmodum econtra ea, quæ incontinentiæ eſt, intemperantiæ, ut in ſequentibus oſtendemus.*

ΑΚΡΑΤΕΙΑ.

Ἀκράτεια δέ ἐστι, κακία τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, καθ'

ἣν παρασύρουσι τῇ ἀλογίᾳ τὴν ἐπιθυμίαν, ὥστε ταρ ἐπὶ τὰς τῶν φαύλων ἡδονῶν ἀπολαύσεις.

INCONTINENTIA.

Incontinentia autem eſt, animæ partis, in qua cupiditas reſidet, uitium, quo fit ut rationis inopia & imbecillitate in prauarum uoluptatum fruitiones impellētem cupiditatem malè moderemur ac regamus.

In iſs, quæ de uirtutibus extant impreßis exemplaribus, huic loco eiuſmodi quædam inſerta legimus. περὶ μὲν ἀκρατείας οὐδέν. οὕτω δέ σε δύνασαι ὁρίζειν. *quod eſt, De incontinentia quidem nihil, ſic uerò ipſam definire queas.* Ex *quibus uerbis intelligimus, hanc definitionem incontentiæ non ipſius eſſe libelli huius de uirtutibus autoris, ſed alterius alicuius: niſi quis fortè dicat, eum, quiſquis tandem huius libri ſit autor, cum reliquas ex antiquioribus autoribus collegiſſet definitiones, incontinentiæ autem nullam apud alios ſe priores inueniſſet, id hoc loco indicare uoluiſſe, ut ſuam hanc eſſe definitionem cognoſceremus, quæ certè nec improbabilis eſt opinio. Sed quomodocunq; tandem res ſe habeat, non*

non malè facta hæc mihi definitio eſſe uidetur: immo uerò & præ cæteris eam admiror, ita naturam huius uitioſæ affectionis oculis noſtris ſubijcit. Cæterum ut hanc commodius intelligamus, Rationem eiusq; participem in nobis partem, ut in Platonis Phædro facit Socrates, aurigæ aſsimilemus: reliquarum uerò duarum rationis expertium utramlibet, equo. Cum igitur habeat in nobis ad cupidinem ſe ratio, ut auriga, quemadmodum dictum eſt, ad equum, quando certè ſecundum naturam omnia in nobis adminiſtrantur, imperat ac ſuperiores partes in nobis obtinet ratio, cupiditas autem eius nutu atq; arbitriò gubernatur & coërcetur. Nam quod natura præſtantius eſt, id ut in deterius dominetur & rerum potiatur par eſt, ut eques in equum, in canem uenator, in puerum pædagogus, ratio in libidinem. Sed non ſemper uſu uenire ſolet, ut in huiuſmodi ſeu coniugijs, ſeu coniugationibus quis appellare uelit, naturæ ordo ſeruetur: ſed equus quidem ferocior minusq; obſequens, ſeſſorem nonnunquàm uehementi & inordinato motu concitatus ſecum abripit, aut uirium imbecillitate, aut equeſtris ſcientiæ imperitia ſuperatum: cupiditas uerò auctior & ualentior facta, ad uoluptates amplectendas proiecta ac præceps rationem aut infirmiorem, aut incautiorem minusq; prouidam, quanquam reluctantem, ſecum aufert. Atque

ad hæc

ad hæc quidem autorem noſtrum in hac definitione reſpexiſſe patet. Nam cum incontinentiam cupidineæ animæ partis uitium eſſe inquit, quo fiat, ut rationis inopia & imbecillitate, ſic enim ἀλογίαν *hoc loco interpretor, cuius cauſam poſterius reddam, in prauarum uoluptatum fruitiones impellentem cupiditatem malè moderemur ac regamus, quid aliud ipſum dicere, exiſtimare par eſt, quàm uitium hoc, eiuſmodi eſſe in animo ordinis perturbationem, qua quæ deterior in nobis eſt pars, & affectio, cupiditas nimirum, ratione ſuperior euadat, eamq́; ſecum quantumuis repugnantem uiolenter auferat & abripiat. Sed melius fortaſſe fuerit, ſingula ſeorſim, quæ explicationis indigere uidentur, autoris uerba conſiderare, ea ipſa, qua ab eo ſcripta ſunt, lingua. Igitur quod inquit,* καθ' ἣν παρασύρουσι τὴν ἐπιθυμίαν, *quod nos uertimus, quo fit, ut cupiditatem malè moderemur ac regamus, ſcire oportet* τὸ παρασύρειν, *uerbum eſſe, ad rem equeſtrem, ut quis dixerit, pertinens. Significat autem, ut & alia multa ex eiuſmodi præpoſitione compoſita,* τὸ φαύλως, καὶ κακῶς, καὶ οὐκ ὀρθῶς σύρειν, *id eſt, prauè, malè & non rectè trahere: quod fit, dum uel habenas nimium laxamus, uel non ut oportet æqualiter adducimus, aut alio quouis modo hic aut imperitia aberramus, aut uiribus deſtituti, frenorum uſum amittimus. Si igitur,*

tur, ut ſuperius dictum eſt, mens & ratio in nobis, equiti ἀναλογίᾳ quadam reſpondet (hac autem homo potiſsimum eſt homo, eoq́; fit, ut per ipſum hominem ſæpius ratio intelligatur) cupiditas uerò equo non malè comparatur, nec malè, arbitror, hac parte definitio ab autore eſt facta, quamq́; in ea uim hæc uox habeat, ſatis perſpicuum eſt. Cæterum quod per ἀλογίαν hic non ſolum rationis inopiam & imprudentiam, ſed etiam eiuſdem imbecillitatem intelligere oporteat, ſi modo definitio integrè conſtabit, id quidem ex ijs, quæ paulò ante à nobis ſunt dicta, manifeſtum eſt: quod uerò & id uox hæc apud Græcos ſignificare poſsit, nunc docebo. Omnia enim, ut eſt à nobis libro primo commentariorum in Cebetis tabulam oſtenſum, quæ ex priuante particula ἀ Græcis compoſita ſunt nomina, duplicem uim & poteſtatem habent: & uel στέρησιν, id eſt, priuationem ſignificant, uel κάκωσιν, id eſt, uitium ſeu incommodum: ad quod poſterius genus & exiguitas & exilitas atq; imbecillitas difficultasq́;, quæq́; his ſunt cognata pertinent, ut ex Ariſtotelis libro quarto primæ Philoſophiæ eſt uidere. Quas autem malas uocet uoluptates, iam antea dictum eſt. Vt igitur ſummatim dicamus, Incontinentia eiuſmodi eſt uitium, in quo uel minus exercitata rudiorq́; ratio, uel incautior & in obſeruanda cupiditate remiſsior, uel imbecillior etiã,

idq; aut abſolutè & per ſe, aut nimium auctæ ac roboratæ cupiditatis occaſione, cupiditatem ipſam in malarum uoluptatum fruitiones prorumpentem refrenare nequit ac coërcere, ſed ab ipſa ſuperatur eiq; concedit. Atque hæc quidem definitionis uis eſt & facultas. Quod autem ſuperius diximus, in Ioannis Stobæi collectanëis malè intemperantiæ & incontinentiæ definitiones inter ſe commutatas eſſe, id nunc non longa probatione indigere arbitror, ſed uel cuiuis ſtatim notum eſſe poſſe. Nam cum ibi ſic legatur, ἀκρασία δέ ἐστι, κακία τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, καθ' ἣν αἱρεῦνται τὰς φαύλας ἡδονάς, μὴ κωλύοντος τοῦ λόγου. hanc primum definitionem, quæ & rationis & cupiditatis in amplectēdis malis uoluptatibus conſenſionem innuit, omni lucta ſublata, non ἀκρασίᾳ, id eſt, incontinentiæ, quod uitium, ſeu mala animi conſtitutio, quam ἡμιτελῆ κακίαν, ut dictum eſt, appellat Theages, in pugna harum inter ſe partium cernitur, conuenire, ſed potius intemperantiæ, ex ijs, quæ de ipſa diſſeruimus perſpicuum eſt. Quod uerò & ea, quæ intemperantiæ ibidem tribuitur, quanquam diuerſa ſit ab hac, quam nunc explicuimus, incontinentiæ definitione, nihilominus tamen in hanc potius quàm intemperantiam accommodari queat, ipſa ſubiecta ſtatim patebit. Habet autem ſe hoc modo, Ακολασία δέ ἐστι, κακία τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, καθ'

ἣν ὀρεκτικοὶ γίνονται περὶ τὰς ἀπολαύσεις τῶν φαύλων ἡδονῶν, quod eſt, Intemperantia uerò eſt, cupidineæ partis uitium, quo fit, ut prauis uoluptatibus fruendi appetitione incitemur. Verum hæc ipſa eò uitioſa eſſe uidetur, quod non minus in continentiã, quam incontinentiam conuenire uidetur. Nam in utraq; id deprehenditur, quod qui iis affectionibus præditi ſint, prauis uoluptatibus fruendi appetitu incitentur, ſed illi quidem ratione appetitum coërcent ac reprimunt, in his uerò affectui & cupiditati ſuccumbit ratio. Sed iis explicatis uitiis, quæ animæ ſunt partium, nunc tempus eſt, ut ad eas progrediamur, quæ ipſius ſunt totius, inter quas Iniuſtitia primum obtinet locum.

ΑΔΙΚΙΑ.

Ἀδικία δέ ἐστι, κακία ψυχῆς, καθ' ἣν πλεονεκτικοὶ γίνονται παρὰ τὴν ἀξίαν.

INIVSTITIA.

Iniuſtitia uerò eſt, animæ uitium, per quod efficitur, ut plus nobis quam par ſit præter dignitatem & meritum uſurpemus occupemusq;.

Non

Non iniuria id quiſpiam hoc loco miretur, quod iniuſtitiam, cum totius animæ uitium eſſe dicat autor, ea tamen ipſam ratione definiat, ut cupidineæ potius partis uitioſæ congruat affectioni, quàm totius animæ. Nam cum, ut Proclus ex autoritate Platonis docet, cupidinea hæc animi pars non ſolum φιλήδονος ſit, ſed etiam φιλοχρήματος, huius uitio πλεονεκτικοὺς potius homines, quam totius animi fieri, rationi conſentaneum eſſe uidetur. Sed quemadmodum ſuperius de iuſtitia eſt dictum, ita & hoc loco dicendum eſſe iudico, non propriè, ſed communius ut ibi τὸ διανεμητικὴν, ſic hic τὸ πλεονεκτικοὺς eſſe accipiendum: ut iniuſtitia, animæ nimirum ſit uitium ac perturbatio, cuiuſmodi à Platone quarto libro de Repub. his uerbis deſcribitur. οὐκοῦν στάσιν τινὰ αὖ τριῶν ὄντων τούτων, δεῖ αὐτὴν εἶναι, καὶ πολυπραγμοσύνην, καὶ ἀλλοτριοπραγμοσύνην, καὶ ἐπανάστασιν μέρους τινὸς τῷ ὅλῳ τῆς ψυχῆς, ἵν' ἄρχῃ ἐν αὐτῇ, οὐ προσῆκον, ἀλλὰ τοιούτου ὄντος φύσει, οἵου πρέπειν αὐτῷ δουλεύειν τῷ τοῦ ἀρχικοῦ γένους ὄντι. Quod eſt: Seditionem igitur quandam harum trium animæ partium ipſam eſſe oportet, & curioſitatem, & alieni negotij aggreſſionem atque inuaſionem, & animæ partis cuiuſdam aduerſus eam totam concitatio ac rebellio, ut in ipſa dominetur & rerum potiatur, cum minimè conueniat,

ſed eiuſmodi ſit natura, ut eam ſeruire par ſit alteri, quæ imperatorij eſt generis. Ac mihi quidem hæc Platonis deſcriptio præclara eſſe uidetur, quæq; uitij huius naturam plenè ſubijciat. Sed nec improbandam omnino arbitror & noſtri autoris definitionem, quæ iniuſtitiam ex cauſa, fundamento & radice, unde omnis illa in animo horrenda oritur perturbatio actionumq; & facultatum confuſio, quam Plato deſcripſit, cuiuſmodi ſit, oſtendere & exprimere aggreſſa eſt. Eſt enim, ut uult Galenus, omnium abſolutè malorum mater πλεονεξία, id eſt, ſtudium & conatus plus ſemper habendi, in omnibus potiores partes obtinendi, nullo in ſtatu acquieſcendi. Et hac certè ratione uerbum πλεονεκτικοῦς in definitione intelligere oportet. Quid uerò ſibi uelit, quòd in definitione additur, Præter dignitatem & meritum, ex ijs, quæ ex Platone ſunt adducta perſpicuum eſt. Cæterum quod ſuperius de iuſtitia diximus, eius & hic meminiſſe oportet. Nam & iniuſtitiam hoc loco ita definiuit autor, ut & animi hominis, quatenus homo eſt, & quatenus Reipub. pars, deprauationi & uitioſitati uniuerſæ, utriq; ex æquo conueniat. Sed his explicatis, ad illiberalitatem progrediamur, cuius hæc apud autorem ſequitur definitio.

ΑΝΕΛΕΥΘΕΡΙΑ.

Ἀνελευθερία δέ ἐστι, κακία ψυχῆς, καθ' ἣν ὀρέγονται τοῦ πανταχόθεν κέρδους.

ILLIBERALITAS.

Illiberalitas autem uitium eſt animæ, quod nos lucri & quæſtus etiam ex re qualibet faciendi, auidos reddit.

Illiberalitatis hæc definitio, quemadmodum & ea, quæ apud Stobæum habetur, quæ ab hac non re, ſed uerbis tantum differt, non totius uitij naturam nobis exprimit: ſed partem eius quandam tantum interpretatur, eam nimirum, quæ deterior eſt. Nam *cum hoc uitium partim in erogatione pecuniæ impenſáque facienda, partim in acquirendo ac comparando quæſtuq́; cernatur, & illic quidem deficiat, intraq́; modum conſiſtat, hic uerò ad exuperationem & id quod nimium eſt deflectat, autor noſter priore illo omiſſo, poſterioris tantum in hac definitione mentionem facit:* quod *eò magis mirum mihi uidetur, quod poſtea in enumerandis ijs, quæ ad uirtutis cuiuſq; & uitij naturam pertinent, inter huius ſpecies, eas quoque commemoret, quæ ad defectionem in impenden-*

do & ſumptum in res neceſſarias & honeſtas faciendo pertinent, ut ſuo loco cognoſcemus. Quidnam igitur pro noſtro hic dicemus autore? An ſcilicet commoda expoſitione adhibita, utrunq; ipſum quodammodo complexum eſſe oſtendemus? Nam ſi, ut autor eſt Ariſtoteles libro quinto Ethicorum ad Nicomachum, & primo Rhetoricorum ad Theodecten, tum mali abiectio, tum diminutio, in bonis habenda eſt, erit etiam & impenſarum alleuatio & imminutio, lucri quadam in parte ponenda. Quare non malè dixerimus, qui ex re qualibet lucrum facere quærit, eum non ſolum ex ſordidis opificijs homineq; libero indignis, fœneratione, lenocinio, & id genus alijs quæſtum moliri: ſed etiam quod non raro ſuum defraudando genium, & reſtrictè nimium ſumptum faciendo comparſit, id totum in lucro ponere. Atq; ſic intellecta definitio nihil incommodi habebit, ſed totam uitij naturam plenè complectitur. Quam quoniam iam ſatis explicatam arbitror, reſtat ut quid puſillanimitas ſit conſideremus. Eam autem hoc modo deſcribit autor.

ΜΙΚΡΟΨΥΧΙΑ.

Μικροψυχία δέ ἐστι, κακία ψυχῆς, καθ' ἣν ἀδύνατοί εἰσι φέρειν εὐτυχίαν καὶ ἀτυχίαν, καὶ τιμὴν καὶ ἀτιμίαν.

PVSIL-

PVSILLANIMITAS.

Puſillanimitas uerò animæ eſt uitium, quo fit, ut nec proſperam, nec aduerſam fortunam, nec honorem, nec ignominiam ferre queamus.

Cum ſuperius ſatis multa de magnanimitatis ſubiectis, id eſt, in quibus hæc uirtus cernatur, & de ordine item horum inter ſe ſint dicta, non eſt, quod nunc hæc repetamus, nec in uitij huius explicatione ſimus longiores. Id tantum dixiſſe ſatis fuerit, ſub huius uitij definitione etiam exuperantiam, quam χαυνότητα *uocat Ariſtoteles, nos tumiditatem, ſeu turgiditatem appellare poſſumus, ab autore comprehendi, ut ex ſequentibus patebit, ubi quæ ad uitium hoc referuntur, proponit autor. Dicit autem puſillanimitatem animæ uitium eſſe, quo nec ſecundam fortunam ferre queamus, ſed rebus paulò proſperioribus & ad uoluntatem noſtram fluentibus illico efferamus nos inſolentius lætitiaq́; exultemus: nec aduerſam, ſed uel ob leuiſſimum incommodum detrimentumq́;, ac minimam fruſtrationem animo perculſo & abiecto ſimus: neque rurſus honorem, quod cum is nobis uel minimus & ob res non magni ad-*

modum momenti, & à quibuslibet etiam contingat, ſtatim turgeſcamus, inflemur animoq́; extollamur: neque ignominiam, ſed ad quamlibet deſpicationem & contumeliam contrahamur, animum demittamus intollerabilemq́; prorſus eam exiſtimemus. Atque de uirtutum quidem & uitiorum definitionibus, quatenus nimirum ad noſtrum attinet inſtitutum, ſatis dictum eſſe putamus. Sequitur ut pari diligentia ea quoque perſequamur, quæ ad uniuſcuiuſq; uirtutis & uitij naturam pertinent. Sed quoniam præſens liber in ſatis iuſtam excreuit magnitudinem, ei hic finem imponamus, quæ apud autorem ſequuntur, proximo explicaturi.

Libri primi

FINIS.

IVSTI VEL-SII HAGANI IN Ariſtotelis de uirtutibus librum cōmentariorum, liber ſecundus.

ΤΑ ΤΗΣ ΦΡΟΝΗΣΕΩΣ.

ΤΗΣ δὲ φρονήσεώς ἐστι, τὸ βουλεύσασθαι· τὸ κρῖναι τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ, καὶ πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ αἱρετὰ καὶ φευκτά· τὸ χρῆσθαι καλῶς τοῖς ὑπάρχουσιν ἀγαθοῖς· τὸ ὁμιλῆσαι ὀρθῶς· τὸ συνιδεῖν τοὺς καιρούς· τὸ ἀγχινόως χρήσασθαι καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ. τὸ τὴν ἐμπειρίαν ἔχειν τῶν χρησίμων πάντων. ἡ μνήμη δὲ, καὶ ἐμπειρία, καὶ ἀγχίνοια, καὶ δεινότης, καὶ εὐβουλία, ἤτοι ἀπὸ τῆς φρονήσεως ἑκάστη αὐτῶν ἐστιν, ἢ παρέπεται τῇ φρονήσει. ἢ τὰ μὲν αὐτῶν οἷον συναίτια τῆς φρονήσεώς ἐστι, καθάπερ ἡ ἐμπειρία, καὶ ἡ μνήμη.

ἡ μνήμη. τὰ δὲ οἷον μέρη τῆς φρονήσεως, οἷον εὐβουλία, καὶ ἀγχίνοια.

QVAE PRVDENTIAE SINT.



SEd prudentiæ quidem eſt, conſultare, bona ac mala, quęq; in uita expetenda fugiendaq́; ſunt omnia diiudicare: præſentibus bonis commodè uti omnibus: rectè cum hominibus congredi & uerſari: temporum momenta & oportunitates perpendere: dicto factoq́; ſolerter uti: commodorum omnium experientiam habere. Atenim memoria, experientia, ſolertia, induſtria & cõſilium, aut à prudentia horũ quodlibet oriundum eſt, aut eandem ſubſequitur: aut horum quædam, pru-

dentiæ ueluti concauſæ ſunt, quem-admodum experientia & memoria: quædam uerò, ut partes eiuſdem, ut conſilium & ſolertia.

In præcedente libro uirtutum & uitiorum definitiones, qua potuimus maxima accuratione & diligentia pertractauimus. In hoc aũt ſecundo ad ea progreßi, quæ ad quamq; uel uirtutem, uel uitioſitatem referuntur, primum quidem omnium in quot & quæ genera hæc diuidantur & diſtinguantur conſideremus. Deinde ad autorem uenientes, quæ ab ipſo traduntur ſingula conuenienti illuſtremus explicatione. Dicimus igitur, cùm uirtutes & uitia animi ſint ſeu habitus, ſeu affectiones dicere mauis, omnem autem habitum & facultas quædam & actio conſequatur, ad eaſq; ſe habeat, ut cauſa ad effectum: rurſus autem & alia quædam ad ipſum pari ratione ſint affecta, ex quibus ſit oriundus: ad hæc & ſymptomata quædam habeat, quæ uel peculiari quadam & propria ratione, uel communiter ipſam comitentur, erũt nimirum quinq; quædam inter ſe genera uicina & tanquam cohærentia ac continuata, quorum primum quidem ordine fuerit, habitus cauſa: ſecundum uerò habitus ipſe: quemadmodum & tertium facultas, quartum actio, quintum id, quod diximus, ſymptoma.

tus. Quibus ſi quis & quæ Græcis πάθη appellantur, in quibus uirtutes & uitia potiſſimum cernuntur, adijcere uelit, quanquam huius, quantum quidem ad præſens negotium attinet, non admodum indigemus, erunt ſic uniuerſa genera ſex. Itaq; ſi habitum ex hoc ordine exemeris, reliqua manebunt uel quatuor, uel quinq;, quæ ad habitum referri dicimus. De quibus in ijs, quæ ſequuntur, diſſerit autor, à prudentia exorſus: cuius primò actiones ſeu officia exponit, ex ijs & facultates, quæ inter actiones & habitus mediæ ſunt, nobis ſubintelligendas relinquens. Inquit igitur prudentiæ proprium eſſe ſeu opus, ſeu officiũ, primo quidem conſulere ac deliberare: deinde uerò, bona ac mala, quæq; in uita expetenda fugiendaq; ſunt omnia dijudicare: tertio autem, præſentibus bonis commodè uti omnibus, quæ mihi non ſolum rectiſſimè Prudentiæ tribuiſſe, ut & reliqua, quæ ſequuntur, uidetur: ſed optimo etiam in his ordine uſus, inuentionem ſeu inquiſitionem iudicio præponens, rerum autem uſum ſubijciens. Cæterum quod dico maniſeſtius erit, ſi quid ſit conſultatio, quam Græci βούλευσιν uocant, docuerimus. Definiunt igitur eam Peripateticorum nonnulli, ζήτησιν ὀρεκτικὴν περὶ τῶν ἐφ' ἡμῖν πρακτῶν γινομένην, quod eſt, ex appetitu profectam & incitatam inquiſitionem earum, quæ noſtræ poteſtati ſubiectæ ſunt res agẽdæ. Quam

quidem ex Ariſtotele definitionem ſumptam eſſe manifeſtum eſt, qui βουλεύσεως genus, ζήτησιν eſſe oſtendit, conſimilemq́; eſſe quodammodo τῇ τῶν διαγραμμάτων ἀναλύσει, id eſt, geometricorum lineamentorum reſolutioni. Quæ quidem cum ita ſe habeant, perſpicuum eſt, conſultationem atque ipſum adeo conſultare hac certè ratione ac uia primum eſſe: Proximum autem iudicium, ſeu diiudicationem. Ad quæ deinceps ſequitur, ſiquidem exquiſitius agere uelimus, quam Græci γνώμην uocant, nos ſententiam, quæ eſt animi affectio quæpiam, & quaſi propenſio ac obfirmatio, qua in eo, quod iudicatum eſt acquieſcimus. Hinc ad exequenda negotia fit progreſſio. Et quoniam, ut dictum eſt, reſolutioni quodammodo adſimilis eſt conſultatio, quod ſanè ita intelligatur, ut cum ipſa coniuncta conſideretur diiudicatio: quodq́; in reſolutione eſt ultimum, id, ut inquit Ariſtoteles, in generatione eſt primum, fit non immerito, ut cum in nos noſtraq́; reſoluendo ac inueſtigando deſierimus, agendiq́; principium eò reduxerimus, hic ſe rectus eorum, quæ nobis adſunt bona, uſus proferat: qui deinceps in quibus explicetur, dictu mirum, quàm commodè proponat autor. Nam cum, ut libro Politicorum primo doctiſſimè probat Ariſtoteles, homo congregabile natura ſit animal, & ad ciuilem ſocietatem communitatemq́; natum, optima

ma certè ratione eorum, quæ nobis uel à Deo, uel eius miniſtra & famula natura, collata ſunt bona, uſum in congreſſu & colloquijs conuictuq́; conſuetudine ponit. Et, quoniam uariæ incurrunt in uitam uiciſſitudines commutationesq́;, & ut inquit Salomon, omnibus ſuum eſt tempus, propriamq́; oportunitatem habet res quælibet, hanc animaduertiſſe & cognouiſſe, potiſſimum autem cum contracta plurimum in anguſtumq́; adducta ſit, & puncti inſtar, ut ut uult Hippocrates, ſe habeat, ad rectam officiorum rationem, & ſermonis uſum neceſſarium ſtatuit. Atque hic mihi illud perpendas uelim, quod non ſolum hæc optimo inter ſe ordine cohæreant & continuata ſint, ſed etiam quàm proprijs hic ſit uocabulis uſus. Nam cum dixiſſet, τὸ συνιδεῖν τοὺς καιροὺς, *non ſubiecit* συνετῶς, *nec* βεβουλευμένως, *ſed* ἀγχινόως χρήσασθαι καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ, *quod* ἀγχινοίας, *id eſt, ſolertiæ ſit proprium, id quod conuenit, ex tempore quaſiq́; in momento inuenire. Quod uerò deinde apud autorem ſequitur, Commodorum omnium experientiam habere, & hoc rectè ab autore adiectum eſt: non quod prudentiæ ſit opus, ut ſuperiora, ſed quod ijs explicatis, ad prudentiæ concauſas & partes iam ſibi uiam muniat. De quibus in ijs, quæ ſequuntur diſſerens. Atenim memoria, inquit, experientia, ſolertia, induſtria, & conſilium, aut à*

 prudentia

prudentia horum quodlibet oriundum eſt, aut eandem ſubſequitur: aut horum quædam prudentiæ ueluti concauſæ ſunt, quemadmodum experientia & memoria: quædam uerò, ut partes eiuſdem, ut conſilium & ſolertia. Sed cum de his tanquam addubitans agat autor, quid potiſsimum aut quomodo dicat, operæprecium arbitror fuerit, dubitationis ratione ac partibus & quaſi membris prius expoſitis, deinceps quid de ſingulis ſit iudicandum oſtendere. Eſt igitur tripartita quæ apud autorem eſt dubitatio, ſed cuius tertium & poſtremum membrum bipartito rurſus ſit diſtributum. Quærit autem & ambigit de quinq; iſtis, memoria dico, experientia, ſolertia, induſtria & conſilio, utrum à prudentia ſint oriunda, ut horum omnium ipſa ſit propria ac princeps & per ſe cauſa, fons & origo, an ex conſecutione quadam & accidente eam ſequantur: an horum potius neutrum, ſed alia quadam ratione ad ipſam ſint affecta: neque uerò eadem omnes, ſed hæc alia, illa item alia. Verum non omnium originem eam eſſe poſſe, hinc ſtatim perſpicuum eſt, quod multos memoria pollere multiplicemq; rerum experientiam habere animaduertamus, qui prudentes tamen nec ſunt, nec fuerunt, ut horum ullo modo cauſa cenſeri poſsit. Quod uerò nec ipſam conſequantur omnia, probare haud difficile fuerit, cum horum nonnulla pruden-

tiam antecedere uideamus, ut memoriam & experientiam. Nam id ex ijs, quæ primo libro τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ ab Ariſtotele dicuntur, perſpicuum eſt: cognoſcetur autem & ex ijs, quæ deinceps dicemus. Ab iſtis igitur duobus membris diſcendens autor, in tertio acquieſcit, & horum quinq; non unam naturam eſſe ſtatuit, nec pari ratione ad prudentiam ſe habere: ſed horum alia prudentiæ ueluti concauſas eſſe inquit, alia quaſi partes. Et concauſarum quidem rationem ſubire, memoriam & experientiam, partiũ autem, conſilium & ſolertiam: de quinta, induſtria nimirum, nulla facta mentione. Sed nos ſingula diligentius perpendamus, à memoria & experientia exorſi, quas noſter autor prudentiæ ueluti concauſas facit. Scire igitur oportet, ex Platonis ſententia cauſas communius appellatas in ueras proprieq; dictas cauſas, (huiuſmodi autem ſunt, finis, & efficiens, ipſumq; præterea exemplar) & in concauſas, quæ Græcis συναίτια dicuntur, (cuiuſmodi forma eſt & materia & inſtrumentum, ſimpliciterq; quæ eiuſmodi ſunt, ut ſine his quid fieri aut eſſe nequeat) ſectionem recipere. In harum igitur, poſteriorum dico cauſarum numero & experientiam & memoriam cum noſter reponere uideatur autor, age uideamus, rectène an ſecus id ab ipſo fiat. Certè quod ex his prudentia, ut & ea, quæ ipſi ſunt cognata, ars & ſci-

entia autore Ariſtotele, tum ortum tum incrementum habeat, hinc arbitror perſpicuum fuerit. Nam ſi memoria quidem eſt, ut uult in Platonis Philebo Socrates, αἰσθήσεως σωτηρία, id eſt, ſenſus conſeruatio, ſiue, ut nonnulli uniuerſalius definiunt, ἡ τῶν πάλαι ἐγνωσμένων κατοχὴ, id eſt, eorum quæ olim cognita ſunt retentio, ſiue, ut alij, ἕξις καθεκτικὴ ὑπολήψεως, quod eſt, habitus opinionis cuſtos & conſeruator: experientia uerò, ἡ τοῦ πλειστάκις καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ ἑωραμένου ἤτοι κατάληψις, ἢ τήρησις καὶ μνήμη, quæ ſunt, eius quod ſæpenumero ac eodem modo conſpectum eſt & apparuit, aut comprehenſio, aut obſeruatio & memoria: omnis autem quæ cogitatione ac ratiocinatione conciliatur cognitio, cuiuſmodi & prudentia eſt, ex antegreſſa & anticipata oritur notitia, nemini dubium eſſe poteſt, quin quæ particularium uiſorum ac notionum tum retinendi, tum obſeruandi, colligendi & conſeruandi uim obtinent facultates, ad prudentiam quoq; comparandam ſint neceſſariæ. Quare in prudentiæ cauſarum generaliter dictarum numero, has reponendas eſſe conſtat. Cæterum quoniam nec prudentiæ fines, nec exemplaria, id enim per ſe manifeſtum arbitror, ſtatui poſſunt, ſed nec efficientes eius cenſeri cauſæ, qui enim queant, non ſolum diuerſi à prudentia generis cum ſint, ſed etiam inferioris & deterioris? (eſt enim

hæc, rationis compos & particeps ſeu habitus ſeu facultas, illæ uerò eiuſdem expertes) non ad cauſas propriè acceptas, has pertinere perſpicuum eſt. Concauſæ igitur ſint oportet. Sed cum triplex & harum ſit differentia, minimè quidem prudentiæ forma, memoria & experientia fuerit (neque enim quod deterius eſt præſtantioris forma eſſe poteſt) ſed materia quædam, ſeu potius inſtrumentum, certè eiuſmodi, quæ ſine quibus non, ὧν οὐκ ἄνευ, Galeno ad imitationem Platonis appellantur. Ac experientia quidem & memoria, eam quam diximus, ad prudentiam rationem obtinent. Conſilium autem & ſolertia non item, ſed ſunt eiuſdem quædam partes ſeu ſpecies, quemadmodum & σύνεσις, id eſt, intelligentia, cuius tamen hic mentionem non facit, ut eſt à nobis exquiſitè ſatis libro quinto commentariorum in Cebetis tabulam explicatum: quæ ſi quis cognoſcere cupiat, inde petat. Nos autem ad δεινότητα, id eſt, induſtriam progreſſi, quomodo & hæc ad prudentiam ſit affecta conſideremus, illud tamen prius ſi admonuerimus, apud Stobæum, unde nonnulla hic reſtituimus, loco δεινότητος malè legi δεξιότητα. Videtur autem hæc & ad prudentiæ concauſas pertinere, ex iis, quæ ab Ariſtotele libro ſexto Ethicorum dicuntur, ubi deſcripta prius hac facultate, quod nimirum eiuſmodi ſit, ut quæ ad propoſitum ſcopum pertinent, ea & obire &

exe-

exequi poſſit, poſt alia nonnulla hæc ſubijcit. ἔστι δὲ ἡ φρόνησις ὀυχ ἡ δύναμις, ἀλλ' ὀυκ ἄνευ τῆς δυνάμεως ταύτης. *id eſt, Eſt autem prudentia non hæc facultas, ſed non ſine hac ipſa facultate, manifeſtò oſtendens ad materiales & organicas cauſas, & ſine quibus quid fieri & eſſe nequit, & hanc ſpectare facultatem. Sed his explicatis, tempus eſt, ut ad ſequentia pergamus. Neq; enim id expectet quiſpiam, ut in his commentarijs plenè de uirtutum cauſis & concauſis, partibus, ſymptomatibus & id genus reliquis diſſeramus, ſed meminerit enarratoris nos nunc officio fungi: illa uerò alteri operi reſeruare.*

ΠΡΑΟΤΗΤΟΣ.

Πραότητος δέ ἐστι, τὸ δύνασθαι φέρειν μετρίως ἐγκλήματα καὶ ὀλιγωρίας· καὶ τὸ μὴ ταχέως ὁρμᾶν ἐπὶ τὰς τιμωρίας· καὶ τὸ μὴ ἐυκίνητον εἶναι πρὸς τὰς ὀργάς· ἀπικρὸν δὲ τῷ ἤθει καὶ ἀφιλόνεικον, ἔχοντα τὸ ἠρεμαῖον ἐν τῇ ψυχῇ καὶ στάσιμον.

QVAE LENITATIS.

Lenitatis uerò eſt, moderatè accuſationes & deſpicatiões ferre poſ-

ſe: neque ſubito ad uindicationem ruere: & haud facile ad iram incitari poſſe: ſed ingenio minimè amarum, & à contentione alienum, quietem & tranquillitatem in animo habere.

*Quæ hic ab autore dicuntur, admodum aperta ſunt, ut longa in his explicatione non ſit opus. Dicit igitur lenitatis, quæ animi & iræ uirtus quædam eſt moderatrix, proprium ſeu opus, ſeu officium eſſe, moderatè accuſationes & deſpicationes ferre poſſe, id autem eſt, ut nec cum ab amicis mon*ſ*amur, obiurgemur, & reprehendamur noſtræ utilitatis cauſa, id ægrè feramus ac indignemur, ſed ſiquidem merito id faciant, corrigere & emendare, quod uitio uertitur & redarguitur ſtudeamus: ſin immerito, placidè nos excuſemus & purgemus quæ res ad uitã honeſtè & cum uirtute degendam maximè eſt utilis: nec cum ab hoſtibus, quiq; nos oderunt, increpemur & exagitemur, contumeliam patiamur & deſpicatui ducamur, excandeſcamus, animus ardeat & cor ira cumuletur: ſed & hæc placatè & moderatè feramus, optimi regis Dauidis in hoc exemplum, cum Semëi maledictis ipſum inſectaretur, ſecuti. Atque hoc primum huius uirtutis eſt opus. Proximum, ſed quod cum priore ne-*

ceſſario

ceſſario cohæreat, non ſubito ad uindicationem ruere, ſed hic rurſus animo ac furore repreſſo, adhibitaq; ratione & iudicio, ſiquidem leuior culpa eſſe uideatur, & amicus, qui in nos peccauit, id ſequi, quod apud Terentium inquit Clitipho:

Nã & cognoſcẽdi et ignoſcẽdi dabitur peccati locus: quod hæc ipſa pacabilitas, inquam, maximè laudabilis in homine ſit affectio, quam Græci nunc εὐγνωμοσύνην, interdum & γνώμην uocant, de qua ſic inquit & præcipit Theognis:

Γνώμης δ᾽ οὐδὲν ἄμεινον ἀνὴρ ἔχει ἔνγε ἑαυτῷ,
Οὐδ᾽ ἀγνωμοσύνης κύρν᾽ ἀνιηρότερον.
Κύρνε μὴ ἄνδρασι πάντα καταθνητοῖς χαλεπαίνου,
Γιγνώσκων, ὡς νοῦν, οἷον ἕκαστος ἔχει,
Αὐτὸς γοῦν στήθεσι, καὶ ἔργματα. Τοῦ δὲ δικαίου
Τοῦτ᾽ ἀδίκῳ μέγα κεν πῆμα βροτοῖσιν ἐπῇ.
Ἔστι τὸ μὲν χεῖρον, τὸ δ᾽ ἄμεινον ἔργον ἑκάστου.
Οὐδεὶς δ᾽ ἀνθρώπων αὐτὸς ἅπαντα σοφός.

Si uerò noxia & iniuria grauior fuerit, eiusq; autor inimico in nos animo, ulciſcendi libidinem & ſic nihilominus refrenare atq; coërcere, diuini præcepti memores, quo iubemur, noſipſos non ulciſci, ſed iræ locum dare, cum, ut ſcriptum eſt, mea eſt ultio & ego retribuam, dicat Dominus. Neq; tamen propterea à nobis, uel etiam alijs, quorum ad nos defenſio pertinet, ſi poſſumus, iniuriã nõ propulſare debemus, (Eſt

enim aliud iniuriam propulſare, & dolorem propter eam illatam, ut loquitur Seneca, reponere) ſed id cauere ne nimis auidè in eum, qui in nos aut in proximos iniurioſus eſt, inuadamus: & ſi omnino ad eius emendationem animaduerſione & caſtigatione aliqua opus eſſe uidebitur, ea primum contumelia uacare debebit: deinde non ad priuatam punientis aut caſtigantis, ſed publicam utilitatem referri: ad hæc & modi & temporis habenda ratio. Cæterum poſt has duas ſequitur tertia quædam eiuſdẽ operatio, quam quiſpiam fortaſſe ſecundæ præponi debuiſſe nec malè exiſtimauerit. Nam ſiue iram innati caloris feruorem, ex deſiderio ulciſcendi eius, qui iniuriam feciſſe uidetur, ortum, ſiue libidinem puniendi eius, qui uideatur læſiſſe iniuria, eſſe definiamus, ad hanc certè incitari, prius fuerit, quàm ad uindicationem prorumpere. Sed eam ob cauſam ab autore forſitan poſtpoſita eſt, quod perfectius quiddam, quàm altera illa ſit. Minus enim eſt, aliquid per iram non facere, nec eam in actum erumpere ſinere, Vlyſſem imitatum, de quo Homerus.

Pectora percutiens dictis, cor comprimit hiſce:
Cor tolera quondam multò grauiora tuliſti:

maius autem ea omnino præter modum ac rationem non commoueri, nec iraſci. Neque enim hoc præſtare cuiuslibet fuerit, ſed eius demum, cui hoc, quod ſe-

quitur,

quitur, adſit, ingenioq; cum ſit minimè amaro, & à contentione, quàm φιλονεικίαν Græci uocant, alieno, quietem & tranquillitatem in animo habeat, omniq; perturbatione careat, quæ mihi ad lenitatis concauſas pertinere uidentur.

ΑΝΔΡΕΙΑΣ.

Ἀνδρείας δέ ἐστι, τὸ δυσέκπληκτον εἶναι ὑπὸ φόβων τῶν περὶ τὸν θάνατον· καὶ τὸ εὐθαρσεῖν ἐν τοῖς δεινοῖς· καὶ τὸ εὔτολμον πρὸς τοὺς κινδύνους· καὶ τὸ μᾶλλον αἱρεῖσθαι τεθνάναι καλῶς, ἢ αἰσχρῶς διασωθῆναι· καὶ τὸ νίκης αἴτιον εἶναι· ἔτι δὲ ἀνδρείας ἐστὶ, καὶ τὸ πονεῖν, καὶ καρτερεῖν, καὶ αἱρεῖσθαι καὶ δύνασθαι. παρέπεται δὲ τῇ ἀνδρείᾳ, καὶ ἡ εὐτολμία, καὶ ἡ εὐψυχία, καὶ τὸ θάρσος, καὶ τὸ θράσος· ἔτι δὲ καὶ ἡ φιλοπονία, καὶ ἡ καρτερία.

QVAE FORTITVDINIS.

At fortitudinis eſt, non facile mortis terrore horreſcere: fidentem in aduerſis eſſe, bene animatum ad pericula: potiusq; honeſtè mori expetere, quàm turpiter ſeruari in-

columem: uictoriæ cauſam eſſe: fortitudinis inſuper eſt, laborem ſuſcipere, patientem tolerantemq́; eſſe, uelle & poſſe. Subſequitur autem hanc, animoſitas, alacritas, fidentia, confidentia: Inſuper autem nauitas & tolerantia.

Quæ ad fortitudinem pertinent enumeraturus autor, ab eo incipit, in quo primò ac maximè hæc ſpectatur uirtus. Eſt autem id mortis terrore non horreſcere. Nam cum terribilium multa ſint genera, non aliud certè homini, ut ex anima & corpore conſtat, formidabilius eſt morte, quæ ultima linea rerum, ut inquit ille, eſſe uidetur. Ad hanc igitur intrepidum animum habere, & immortalitatis meliorumq́; in altera & futura uita expectatione ipſam contemnere & pro nihilo ponere, primum ac præcipuum eius fuerit opus. Proximum autem, in aduerſis fidentem eſſe, non animi duritia & ſtupore, aut alia quapiam occaſione: ſed ex uera animi generoſitate, quodq́; intelligat non cedendum malis, ſed contra, ut inquit poëta, audentius eundum. Tertium uerò, bene animatum & ad pericula intrepidum eſſe, non præcipiti furore mentisq́; cæcitate, neque periculi aut eius magnitudi-

nis ignorantia, inconſideratáq; temeritate, nec propter inanem & tenuem ſpem ac fiduciam, neque uanam gloriam, aut adumbratam opinionem honeſtatis: ſed ſolidam, ueram & expreſſam, & quod perſuaſum ſibi habeat penitúsq; animo eius ſederit, nullum tam magnum periculum eſſe, quod non ipſi potius ſit adeundum, quàm deſerendum officium. Eoq; *rectè quarto loco hic ſubijcitur,* Potiúsq; *honeſtè mori expetere, quàm turpiter ſeruari incolumẽ, quod quam uim habeat, ex iam dictis perſpicuum eſt.* Quod *uerò deinceps ſequitur, uictoriæ cauſam eſſe, idipſum peculiare quoddam huius uirtutis ſymptoma continet.* Nam *cum animoſæ partis occaſione ad uictoriã, ut eſt à nobis libro quarto commentariorum in* Cebetis *tabulam explicatum, naturalem obtineamus conciliationem, hanc certè, quæ ipſius per ſe, eiusq; proprij operis, animi nimirum excelſi & inuicti magnitudinis & roboris occaſione eſt uirtus, uictoriæ nobis conſequendæ potiſsimum eſſe cauſam, rationi con ſentaneum eſt.* Et *quoniam uictoria ſine labore corporis atque animi contentione comparari nequit, opus autem ſit ad ipſam tum uoluntate, tum facultate & uiribus quæ uoluntati reſpondeant, non malè ſubiecit autor,* Laborare, *ſeu laborem ſuſcipere, & patientem tollerantemq; eſſe, uelle & poſſe.* Cæterum *quod in ſequentibus inquit.* Subſequitur *autem hanc animoſitas,*

nimoſitas, alacritas, fidentia, confidentia, de duobus quidem prioribus ſatis conſtare uidetur, hæc inter fortitudinis ſymptomata, non malè numerari. De poſterioribus autem, non immerito quis ambigat, putetq́ ab ipſius natura ea eſſe alieniora, quod immoderationis cuiuſdam nomina eſſe uideantur, ſi non utrunque, at alterum ſaltem. Verum ut hoc, quod dico, rectius intelligatur, quid horum quodlibet ſit definiamus, & primo quidem animoſitatem & alacritatem. Eſt igitur εὐτολμία, *quam animoſitatem uertimus, animi recta in adeundis periculis affectio ac promptitudo: quemadmodum* εὐψυχία, *ut arbitror, quam alacritatem interpretamur, in ſuſtinendis rebus arduis & difficilibus animi excelſi atque inuicti magnitudo ac robur. Sed hæc quidem ſi duarum harum ſit natura, hæ definitiones, nulli dubium, quin fortitudinis ſeu partes ſeu ſpecies quædam ſint cenſendæ. Verum enimuero dicat aliquis, ſi fortitudinis hæ ſunt ſpecies, quomodo ipſam ſubſequi dicuntur? Ratio enim exigere uidetur, ut contra potius ſtatuamus, quod has fortitudo ſubſequatur, quemadmodum hominem animal. Nam ſi homo eſt, animal eſt: non autem econtra, ſi animal, homo. Ad hæc dicimus primo quidem, quod* τὸ παρέπεσθαι *uocabulum latius nunc uſurpet, pro eo, quod quoquo modo ad naturam alicuius refertur. Deinde uerò nec inconueniens eſſe, ſi ad genus*

tium ſequi ſpecies dicamus, eò quod ex huius diuiſione reſultent. Tertio autem partium magis has, quàm ſpecierum ad fortitudinem rationem obtinere. Neq; enim ipſarum utralibet fortitudo rectè ſtatuatur, ſed habitus quidam tum his tum reliquis ſuis numeris & partibus perfectus expletusq;. Atq; animoſitatis & alacritatis hæc eſt ratio. Fidentiam autem & confidentiam antequam definiamus, diſtinctionis cuiuſdam prius meminiſſe non abs re fuerit, quæ apud Ammonium inuenitur in libro περὶ τῶν ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων. *Inquit igitur hoc modo:* θράσος καὶ θάρσος διαφέρει. θράσος μὲν γάρ ἐστιν ἡ ἄλογος ὁρμή. θάρσος δὲ ἡ ἔλλογος ὁρμή. *quod eſt, Confidentia & fidentia differunt. Nam confidentia quidem irrationalis eſt appetitio. Fidentia uerò rationalis eſt appetitio. Quæ non harum ſunt uocum definitiones, ſed orationes tantum, quæ has à ſe mutuo ſeparent. Fidentiam autem Cicero libro de Inuentione ſecundo, hunc in modum definit. Fidentia eſt, per quam magnis & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocauit. Cæterum eodem in libro audaciam, quæ eadem & confidentia alibi ab ipſo appellatur, nos autem ut uocum, quæ apud Græcos eſt, affinitas maneret, hoc nunc nomine uti maluimus, fidentiæ non contrarium, ſed appoſitum ac propinquum, & tamen*

men uitium eſſe ſtatuit. Quæ ſi uera eſſe, & rectè ſe habere recipimus, erit quidem fidentia, aut recta animi affectio, & proinde uirtutis huius, ut & superiora, pars quædam, aut certè facultas aliqua & uis media, quæ & ab experientia & arte, ira & furore ac inſania ortum habere poteſt: poteſt autem & à natura rectaq; educatione, ut nimirum perinde ad fortitudinem ſe habeat, fidentia, atq; ad prudentiam induſtria. Sed utroq; modo rectè ad hanc uirtutem referetur, atq; inter ea reponetur, quæ ad ipſius naturam pertinent. Confidentia autem ſeu audacia, cum irrationalis ſit animi motus, & in uitio habenda, quomodo huc reducatur non uideo: ſed nec apud Ioannem Stobæum additur, niſi forte eam ob cauſam id ab autore factum dicamus, quod, ut ſuperius diximus, hoc uitium uirtutis ſpeciem ementiatur, ac propemodum eodem, quo fortitudo, modo in terribilibus ſe habeat, ut facilis ſit propter affinitatem, à fortitudine ad hoc uitium declinatio. Reliqua, quæ ſequuntur duo, eorum alterum & poſterius ἡμιτελὴς ἀρετὴ à Theage eſſe ſtatuitur, uia nimirum ad fortitudinem quædam, alterum uerò & prius eiuſmodi eſt, ut ſine eo fortitudo eſſe non poßit. Definitur autem nauitas quidem, quæ φιλοπονία eſt Græcè, à nonnullis διάθεσις ἐξεργαστικὴ τῶν ὑποβαλλόντων, ab alijs uerò, ἕξις ἑκούσιος ἀποτελεστικὴ, οὗ ἂν προέληται ὁ λο-

ὁ λογισμὸς, ἀδιάβλητος πρὸς πόνον, *quae ſunt, affectio conuenientium effectrix: &, habitus ultroneus ſeu ſpontaneus eorum, quae uult ratio, perfector, à labore inuictus. Sic enim* τὸ ἀδιάβλητος *hoc loco interpretor, quod tamen propriè ſignificat, talem eſſe hunc habitum, qui à labore non arguatur, ſed huic facilè, ut loquitur* Horatius, *reſponſet.* Tole*rantia uerò, quam* καρτερίαν Graeci *nominant,* Δύναμις ἐμμενητικὴ πόνοις καὶ ὑπομενητικὴ λύπης, ἕνεκα τοῦ καλοῦ. *id eſt, facultas quae in laboribus perſeueret ac permaneat, doloremq́; perpetiatur & ſuſtineat honeſtatis cauſa.* Et *quae ad fortitudinem referuntur haec ſunt: quae uerò ad frugalitatem, ea ſunt eiuſmodi.*

ΣΩΦΡΟΣΥΝΗΣ.

Σωφροσύνης δέ ἐστι, τὸ μὴ θαυμάζειν τὰς ἀπολαύσεις τῶν σωματικῶν ἡδονῶν· καὶ τὸ εἶναι πάσης ἀπολαύσεως αἰσχρᾶς ἡδονῆς ἀνόρεκτον· καὶ τὸ φοβεῖσθαι καὶ τὴν δικαίαν ἄδειαν· καὶ τὸ τετάχθαι περὶ τὸν βίον ὁμοίως ἔν τε μικροῖς καὶ μεγάλοις. παρέπεται δὲ τῇ σωφροσύνῃ εὐταξία, κοσμιότης, αἰδὼς, εὐλάβεια.

QVAE FRVGALITATIS.

Fruga-

Frugalitatis autem eſt, corporearum uoluptatum fruitiones non admirari: nulla turpis uoluptatis appetere oblectamenta: iuſtam etiam libertatem & licentiam reformidare: animum in uitam intentum in paruis ſimiliter & magnis habere. Cæterum frugalitatem ſubſequitur modeſtia, elegantia, pudor, uerecundia.

Quoniam, ut prius dictum eſt, cum perfectè ratio in cupiditatem dominetur, abſoluta in animo exiſtit uirtus, quam frugalitatem ſeu temperantiam appellare licet, merito primum & perfectiſſimum eius fuerit opus, corporearum fruitiones uoluptatum non admirari. Corporeas autem uoluptates intelligere oportet eas, quæ cum ſuauitate quadam percipiuntur ſenſibus, potiſſimum autem tactu & guſtatu, qui ſunt ſenſus ex omnibus maximè uoluptarij, quiq; dulcedine præter cæteros commouentur. Sunt autem eiuſmodi uoluptates & turpes homineq; adeò indignæ, ut quæ ſint nobis cum pecudibus ad paſtum abiectis communes, & peſtiferæ atque nocentes, quæ in animum

mum graſſentur, ipſumq́; non ſolum in turpiſsimam redigant ſeruitutem, ſed etiam tanquam clauo quodã, ut in Phædone inquit Socrates, ad corpus penitus affigant, eoq́;, qui inde oritur, tumultu & agitatione compleant. Harum igitur nullam admirari, nec uiſendam ac pulchram ducere, primum eſt huius uirtutis opus: Ad quod proximè ſequitur, nulla turpis uoluptatis, cuiuſmodi corporeas eſſe diximus, oblectamenta appetere. Nam qui harum admiratione non afficitur, nec dignas ipſas ulla æmulatione cenſet, qua tandem has ratione expetat, ac non potius aſpernetur ac reſpuat, quas turpes eſſe & pernicioſas cognouerit? Et quoniam multa licent, ſed non omnia, ut inquit Paulus, conducunt, non ſolum temperantiæ fuerit, turpes & omnium iudicio infames, aut etiam uetitas uoluptates declinare ac fugere, cuiuſmodi ſunt, quæ ex ſtupris, corruptelis, adulterijs & inceſtis quæruntur: ſed etiam eas metuere ſuſpectasq́; habere, quæ legibus, quæ more maiorum inſtitutisq́; conceduntur, ut ſunt amores meretricij, concubinatus, complexus & oſcula, quæ quàm ſint periculoſa, pulchrè libro primo τῶν ἀπομνημονευμάτων apud Xenophontem docet Socrates, Critobulum inſectans & exagitans, quod facie pulcherrimum & formoſiſſimum Alcibiadis filium oſculari eſſet auſus. Atque hoc eſt, quod iuſtam etiam libertatem & licentiam

reformidare, inquit autor. Sed qui hoc modo erit affectus, is mihi non ſolum, quod Zeno iubet, facturus uidetur, ut omnia tutè cauteq; agat, tanquam paulò poſt apud pædagogos ſe defenſurus & pro ſe cauſam dicturus (appellabat enim ſic uir ille hominum uulgus, qui ad proximos increpandos prompti ſunt & parati, etiamſi nemo huc eos prouocet) ſed etiam ſeipſum maximè, ut in aureis carminibus præcipit Pythagoras, reueritus, animum ſemper in uitam intentum habebit, inquirens in ſe, atque ipſe ſeſe obſeruans in minimis æquè ac maximis,

Ne quid hiet, ne quid protuberet: angulus æquis
Partibus ut coëat: nil ut deliret amuſsis.
Sit ſolidum quodcunq; ſubeſt: nec inania ſubtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.

Et hæc quidem, hisq; ſimilia frugalitatis ſeu temperantiæ ſunt officia. Quod uerò deinceps ſubijcitur, Cæterum frugalitatem ſubſequitur, modeſtia, elegantia, pudor, uerecundia, ſcire oportet, horum quædam ſymptomata eſſe temperantiæ, aut potius partes, ut modeſtiam & elegantiam, quædam uerò concauſas, non huius tantum, ſed uirtutis uniuerſæ, quemadmodum probabimus, ſi prius tamen quid horum ſit unumquodq; explicuerimus. Eſt igitur εὐταξία, quam modeſtiam Ciceronem imitati interpretamur, duplex; alia, quæ ad prudentiam pertinet,

eiuſq; pars eſt quædam, ut eſt à nobis libro quinto commentariorum in Cebetis tabulam traditum, quam hoc modo, nec malè mihi definiuiſſe uidentur Stoïci, εὐταξία ἐστὶν, ἐπιστήμη τάξεως καὶ μέτρου τῶν τε πρακτέων καὶ τῶν λεκτέων. quod eſt, modeſtia eſt, ſcientia ordinis ac modi agendorum & dicendorum: alia quæ ad temperantiam refertur, quam hac ratione à quibuſdam explicatam inuenio. εὐταξία ἐστὶν, ἕξις τάττουσα καὶ Διακοσμοῦσα τὰ περὶ ψυχῆς πάθη, καὶ ἐπιστρέφουσα τὰ χείρω ἐν ἡμῖν πρὸς τὰ κρείττω. id eſt, Modeſtia eſt habitus ordinans & componens animi affectus, & quæ in nobis deteriora ſunt, ad præſtantiora conuertens. Ipſam autem κοσμιότητα, interdum quidem non admodum curioſè ab ea, quam dixi, εὐταξίᾳ ſeparant, ſed pro eadem habent, eodemq; planè definiunt modo: interdum uerò in geſtus & cũ corporis tum animi motuum quadam concinnitate & moderatione, ad hæc uictus ueſtitusq; non odioſa, neque exquiſita nimium munditia ponunt. Ex quibus manifeſte intelligi poteſt, rectè inter temperantiæ ſeu frugalitatis partes, hos habitus numerari. Sed pudorem quidem, cum, ut inquit Ariſtoteles, metum quendam infamiæ definiant, uel, ut alij, quod tamen idem ualet, conſequentis ignominiæ expectationem, εὐλάβειαν autem, quam modò uerecundiam, modo cautionem uertunt, odij

offenſioniſq; factam cum ratione declinationem, quis non animaduertat, à uitijs quidem abſtinentiæ & receſſus, ad uirtutes autem progreſsionis, has non minimas eſſe occaſiones, quæ & Platonis & Hippodami Pythagorei eſt ſententia. Sed his explicatis ad continentiam progrediamur, & quæ ad ipſam pertinent conſideremus.

ΕΓΚΡΑΤΕΙΑΣ.

Ἐγκρατείας δέ ἐστι, τὸ δύνασθαι κατάχειν τῷ λογισμῷ τὴν ἐπιθυμίαν ὁρμῶσαν ἐπὶ φαύλας ἀπολαύσεις, καὶ ἡδονάς· καὶ τὸ καρτερεῖν, καὶ τὸ ὑπομενητικὸν εἶναι τῆς κατὰ φύσεως ἐνδείας καὶ λύπης.

QVAE CONTINENTIAE.

Continentiæ uerò eſt, ad malas oblectationes & uoluptates prorumpentem cupiditatem ratione cohibere poſſe: tolerare, quæq; naturæ infeſta ſunt indigentiam & dolorem ſuſtinendi facultate præditum eſſe.

In temperantiæ & continentiæ definitionibus explicandis, itemq; ijs, qui his oppoſiti ſunt habitus,

intemperantiam dico & incontinentiam, ſatis à nobis multa ſunt dicta, quæ ſi rectè ſunt intellecta, non eſt, quod multum in his enarrandis operæ inſumamus. Nam primum & præcipuum imperfectæ huius uirtutis opus & officium eſſe, ratione cupiditatem, cum malas & noxias appetit uoluptates, ad easq; amplectendas prorumpere conatur, refrenare atq; coercere, & dictum eſt prius, & quam uim habeat explicatum. Illud autem quod ſequitur, quodq; ſecundo loco eius officium eſſe ſtatuitur, καὶ τὸ καρτερεῖν, id eſt, & tolerare, non nullam habere uidetur prima fronte difficultatem, quod ipſum inter ea quoq; numeratum inueniatur, quæ prius fortitudini ſunt tributa. Sed ſcire oportet, ut ἐγκράτειαν, ſic & καρτερίαν, & τὸ καρτερεῖν non uno dici modo, ſed aliam quidem abſolutè, quæ in reſiſtendo fortiterq; labores & dolores perferendo cernitur, quæ ad fortitudinem refertur: aliam uerò non abſolutè ſimpliciterq;, ſed qua famem, ſitim, frigus, uigilias reliquasq; conſimiles moleſtias uoluptatisq; priuationes perferimus, qua de nunc autori eſt ſermo, quod & id, quod ſequitur, manifeſtè oſtendit, quæq; naturæ infeſta ſunt, indigentiam & dolorem ſuſtinendi facultate præditum eſſe. Nam id præcedentis quædam eſſe interpretatio uidetur. Eſt autem & alia quædam apud Stobæum huius, quam dixi, interpretationis lectio, ſed quæ commodè

expoſita ferè idem ualeat. καὶ τὸ ὑπομονητικὸν εἶναι τῶν κατὰ φύσιν ἐνδείας τε καὶ λύπης, *quod eſt, eius quæ ſecundum naturam eſt indigentiæ & doloris ſuſtinendi facultate præditum eſſe. In qua ſanè oratione, indigentiam & dolorem ſecundum naturam, non ſic intelligere oportet, ut ſanitatem & bonam habitudinem ſecundum naturam eſſe dicimus, quæ prima & principali ratione à natura fiunt, & ad rei abſolutionem perfectionemq; pertinent, ſed ut morbum & ſenium, quæ etſi in naturæ corruptionem & interitum uergant, quia tamen ex naturalibus atq; inſitis cauſis plurimum ortum habent, ſecundo quodam modo ac ratione & hæc ſecundum naturam eſſe dicuntur.*

ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΣ.

Δικαιοσύνης δέ ἐστι, τὸ διανεμητικὸν εἶναι τῶν κατ' ἀξίαν, καὶ σώζειν τὰ πάτρια ἔθη καὶ τὰ νόμιμα· καὶ τὸ σώζειν τοὺς γεγραμμένους νόμους· καὶ τὸ ἀληθεύειν ἐν τῷ διαφέροντι· καὶ τὸ διαφυλάττειν τὰς ὁμολογίας. ἐστὶ δὲ πρώτη τῶν δικαιοσυνῶν πρὸς τοὺς θεούς· εἶτα πρὸς τοὺς δαίμονας· εἶτα πρὸς πατρίδα καὶ γονεῖς· εἶτα πρὸς τοὺς κατοιχομένους· ἐν οἷς ἐστὶν ἡ εὐσέβεια, ἤτοι μέρος οὖσα δικαιοσύνης ἢ παρακολουθοῦσα. ἀκολου-

θεῖ δὲ τῇ δικαιοσύνῃ καὶ ἡ ὁσιότης, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ πίστις, καὶ ἡ μισοπονηρία.

QVAE IVSTITIAE.

Cæterum iuſtitiæ eſt, ſuum unicuiq; pro dignitate & merito diſtribuendi animo præditum eſſe, & patrias conſuetudines & inſtituta ſeruare: ſcriptis legibus parere: in re ſeria ubiq; intereſt, ueracem eſſe: pactis conuentisq; ſtare. Prima autem iuſtitia eſt erga deos: proxima erga dæmones: tertia erga patriam & parentes: poſtrema erga eos, qui mortem obierunt: in quibus conſiſtit pietas, quæ iuſtitiæ aut pars eſt, aut ipſam ſubſequitur. Comes autem eſt iuſtitiæ & ſanctitas, & ueritas, & fides, maliq; odium.

Quod ſuperius in iuſtitiæ definitione explicanda à nobis dictum eſt, id nunc manifeſtè patet, non de-

bere propriè, quod in definitione ponitur, τὸ διανεμητικὸν, accipi, ut ea tantum iuſtitia, quæ particularis eſt, quæq; in diſtributionibus uel honoris, uel pecuniarum, uel aliarum uerſatur rerum, quæ inter eos diuidua ſunt, qui ciuili communitate inter ſe coniuncti ſunt & conſociati, ſignificetur: ſed communius, ut in uniuerſam ualeat iuſtitiã, de qua Theognis.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι. quod eſt,

Iuſtitiæ uirtus ſummatim includitur omnis:

ut ibi eſt explicatum. Nam hoc loco cum uniuerſè huius uirtutis opus, unde ea, cuius modo meminimus, definitio eſt facta, propoſuiſſet dixiſſetq;, Iuſtitiæ eſſe ſuum cuiq; pro dignitate ac merito tribuere, quaſi κατ' ἐπεξήγησιν, id eſt, per expoſitionem ſubiecit, Et patrias conſuetudines & inſtituta ſeruare: ſcriptis legibus parere: in re ſeria ubiq; intereſt, ueracem eſſe: pactis cõuentisq; ſtare. quorum illa quidem, Et patrias conſuetudines & inſtituta ſeruare, ad Ius non ſcriptum: hoc uerò, ſcriptis legibus parere, ad Ius ſcriptum pertinet. De reliquis paulò poſt dicemus. Eſt autem ἔθος, nos conſuetudinem appellare poſſumus, ut Græcorum nonnulli definiunt, τὸ ἐν ἑκάστῃ χώρᾳ ἄγραφον δίκαιον, quæ mihi definitio latius aliquanto patere uidetur, & ea ſimul comprehendere, quæ inſtituta uocamus, Græci νόμιμα appellant.

Quare

Quare Iuriſperitorum magis mihi placet definitio, qui non ſolum in genere dicunt. Conſuetudinem Ius eſſe, quod moribus conſtitutum eſt, ſed eam propriè appellandam cenſent, quæ uſu populi ſeruatur, & mutari nonnunquam contrario uſu ſolet. Νόμιμον *uerò, quod inſtitutum interpretamur:* ἔςι δίκαιον ἄγραφον μὲν, τεταγμένον δὲ καὶ κεκυρωμένον ὑπὸ τῶν αὐθεντῶν. *quod eſt, Ius non ſcriptum quidem, ſed conſtitutum & confirmatum ab iis, qui autoritate pollent. Quæ mihi definitio exquiſitior aliquanto uidetur, quàm ea, quanquam ab hac non multum diſtet, quæ inſtitutum, Ius non ſcriptum eſſe aſſerit, quod tamen certum autorem habet, id eſt, magnum aliquem autorem, quem reliqui imitari non erubeſcant. Legem autem ſcriptam, ut ſimpliciſſime definiamus, eam eſſe dicimus, quæ ſcripto ſancit, quod uult, aut iubendo, aut uetando. Hæc igitur ſeruare, iuſtitiæ eſſe uult autor, patrias inquam conſuetudines, inſtituta & leges ſcriptas: de quibus nonnullæ ſuboriuntur dubitationes, quæ deinceps exponendæ & examinandæ ſunt. Dicat enim fortaſſe aliquis, & primum quidem quod ad conſuetudinem attinet, quid ſi mala ſit ea, quæ introducta eſt conſuetudo, atque adeò pernicioſa, puta talis, cuiuſmodi deſcribit aureum illud orationis flumen Ioannes Chriſoſtomus, Homilia contra eos, qui nouilu-*

nia obſeruabant, & in urbe choreas ducebant, quæ non ſolum puerilis oſtentationis & ambitionis plurimum in ſe habebat, ſed etiam impietatis, luxuriæ, libidinis, intemperantiæ, an & hanc ſeruare ac tueri iuſtitiæ fuerit? Minimè uerò. Sed hæc non conſuetudo fortè dicenda eſt, ſed totum hoc, conſuetudo mala, quod Philoſophi cum huiuſmodi uoces, quæ in utranq; ualent partem, abſolutè uſurpent, in meliorem ferè accipere ſoleant. Quanquam ſupereſt & alia huius dubitationis ſolutio, quod nimirum non hoc dixerit autor, abſolutè conſuetudines patrias ſeruandas eſſe, ſed adiecerit, & legitimas, ut τὰ νόμιμα apud Græcos, non ſubſtantiuè, ut loquuntur grammatici, accipiamus, ſed adiectiuè, ut ſit nimirum tanquam diſtinctionis loco hic adhibitum, perinde ac ſi dixiſſet, iuſtitiæ eſt patrias conſuetudines ſeruare, eas inquam, non quæ adulterinæ ſunt, ſed legitimæ. Fuerint autem tales, quæ naturæ ac rectæ rationi non repugnent, ſed potius conſentaneæ ſint & congruentes. Atq; hanc quidem ſolutionem ſi recipimus, de altero, dico autem inſtitutis, nihil eſt quod ſimus ſoliciti. Si uerò hæc minus alicui placeat, quam priore loco de conſuetudine, eandem & de inſtitutis afferemus, dicemusq; ea tantum ab autore inſtituta appellari, quæ bona & recta ſunt, & à ſana mente ac ſapiente profecta, non ſi quæ inſanus aliquis parumq; prudens

dens iudicij errore introduxerit. De lege autem quid attinet dicere, quam cum propriè, quæq; uerè hoc nomen mereatur definire uult Cicero, nunc quidem, rectam & à numine deorum tractam rationem, imperantem honeſta prohibentemq́; contraria, eſſe dicit: nunc uerò, iuſtorum iniuſtorumq́; diſtinctionem ad illam antiquiſsimam & rerum omnium principem expreſſa naturam, quam non niſi bonam eſſe poſſe perſpicuum eſt, ut ei merito ſit parendum. Quare hæc ſeruare, rectè iuſtitiæ eſſe ſtatuit. Quod uerò deinceps ſequitur, in re ſeria ubiq; intereſt ueracem eſſe, hanc ſententiam habet, ut cum, quæ Platonis libro quinto de legibus eſt ſententia, ἡ ἀλήθεια πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις· ἧς, ὁ γενήσεσθαι μέλλων μακάριός τε καὶ εὐδαίμων, ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος εἴη, ἵνα ὡς πλεῖστον χρόνον ἀληθὴς ὢν διαβιοῖ. πιστὸς γάρ. ὁ δ᾽ ἄπιστος, ᾧ φίλον ψεῦδος ἑκούσιον. *quod eſt, Veritas omnium tum dijs, tum hominibus bonorum dux ſit & conciliatrix: cuius, qui felix & beatus eſt futurus, ab initio ſtatim particeps ſit oportet, ut maximam temporis partem uerax tranſmittat. Nam ſic fide dignus eſt futurus: indignus autem, qui uoluntario mendacio gaudet: iuſtitiæ, quæ uirtutem in ſe omnem continet, eſſe dicat, cum alijs omnibus in rebus ueritatem colere, quod ut inquit Comicus,*

ἀεὶ κράτιστόν ἐστι τἀληθῆ λέγειν,
ἐν παντὶ καιρῷ τοῦτ᾽ ἐγὼ παρεγγυῶ
εἰς ἀσφάλειαν τοῦ βίου πλεῖστον μέρος.

tum uerò præcipuè, in re ſeria & ubi intereſt, ut in teſtimonio dicendo, iureiurando, conſilij communicatione alijsq; conſimilibus rebus. Adhæc autem & iuſtitiæ proprium eſt opus, inquit, pactis conuentisq; ſtare, quod mihi admodum rectè ab autore dictum uidetur, cum ſit fides, ut libro officiorum primo inquit Cicero, fundamentum iuſtitiæ, quam ſic ibidem definit, ut ſit dictorum conuentorumq; conſtantia & ueritas. Cæterum quoniam iuſtitia, qua de nunc agimus, ut libro Moralium quinto docet Ariſtoteles, ad alterum perfecta eſt uirtus, ex hac ad alterum affectione quaſdam eius ſpecies, ſeu partes potius elicit ac conſtituit, inter quas etiam ordo quidam notatur. Itaq; iuſtitiam primam eſſe ait erga deos: ex gentiliũ errore, qui deorum multitudinem introduxerunt, deos, non deum dicens. Nam noſtra quidem religio unũ tantum in perſonarum trinitate agnoſcit Deum. Conſiſtit autem iuſtitia erga Deum in his potiſſimum. Primum ut honeſtam ac rectam de eius numine opinionem fidemq; habeamus. Ad quam inducere & inſtituere nos poterit cœli & mundi, eiusq;, quæ in ipſis eſt, deſcriptionis, ornatus & ordinis notatio & animaduerſio. Neq; uerò minus interim, ſed certius etiã

aliquan-

aliquanto, quæ inſtinctu afflatuq́; diuino de ipſo prodita ſunt, per ſanctos prophetas & Apoſtolos uiróſque apoſtolicos oracula. Deinde ut ipſum agnitum dignè ſancteq́; ueneremur & colamus: pro immenſis quidem in nos collatis tum creationis, tum redemptionis, adhæc autem & conſeruationis ac prouidentiæ ratione, beneficijs, ſine intermiſſione ipſi gratias agentes: ſacrificium autem facientes, non hircos & tauros ipſi immolando, cum iam inde à prophetarum temporibus hæc reſpuerit, & abominationem ſibi eſſe, abſente interna animi rectitudine, pronunciarit: ſed hircorum & taurorum loco, quæ in nobis ſunt rationis expertes affectiones, libidinem & iram reliquasq́; perturbationes, ut ſacræ loquuntur literæ, mortificantes, corpus peccati carnemq́; exuentes, non præbentes membra noſtra arma iniuſtitiæ peccato, ſed præbentes noſmetipſos Deo uelut ex mortuis uiuentes, & membra noſtra arma iuſtitiæ Deo: quaq́; ſola ad Dei ſimilitudinem accedimus, ac boni ideæ expreſſius participes ſumus, mentem ac rationem ab omnibus expurgatam perturbationum & irrationalis naturæ ſordibus, imò noſipſos potius totos ritè ac legitimè præparatos Deo holocauſtum offerentes, non ſubiecta à filijs Aaron ſacerdotibus flamma exurendum conſumendumq́;, ſed cœlitus delapſo igni, ſpiritus ſancti ui & ardore, ad omne honeſti iuſtiq́; ſtu-

dium

dium penitus inflammandum ac perficiendum. Atque in his ego, ut in genere dicam, primam, quæ erga Deum eſt, iuſtitiam potiſsimum conſiſtere arbitror, omneſq; adeò, qui ſalutariter ab Eccleſia instituti ſunt ritus ac ſolennes cerimonias eò referendas eſſe arbitror, non reijciendas ac aſpernandas, ut nonnulla hodiè faciunt cyclopica ingenia, quibus nihil eſſe pulchrum uidetur, quod non ſit à maiorum & Eccleſiæ inſtutis diuerſum. Secunda uerò & proxima, quam ergà dæmones eſſe noſter, inquit, autor, in quibus cernatur antequam exponamus, nonnulla prius de ſuperiorum diuinorumq; ordine, ex ueterum philoſophorum, in primiſq; Heſiodi ſententia adferemus. Voluerunt itaq; ueteres, ut autor eſt Iamblichus in libro de myſterijs Aegyptiorum, Chaldæorum & Aſſyriorũ, & Proclus in commentarijs in Alcibiadem Platonis priorem, cumq; his conſentiens Hierocles in enarratione aureorum Pythagoræ carminum, primum quidem diuinorum eſſe ipſum bonum deoſq; ſequentes; ultimum particulares hominum animas ratione præditas. Inter hæc autem tanquam extrema, duo quæpiam intermedia eſſe, dæmones & heroës, illos quidem dijs uiciniores, eorumq; tanquam architectorum in opificio mundano eiuſq; gubernatione miniſtros: hos autem animis humanis, qui & ipſi deorũ nihilominus ſint miniſtri. Itaque & hos & illos utpote inter-

medios diuina quidem ad nos, noſtra uerò ad deos perferre. Ex quibus recta ratione quis uſus animaduertat, ueteris & priſcæ religionis quædam hæc quaſi ueſtigia in gentilium ſcriptis conſpici. Nam quod illi diuinorum primum eſſe inquiunt ipſum bonum, id eſt, ſummum & principem omnium autorem Deum, in hoc ſane non falluntur. Quod uerò deinceps deorum, quandam multitudinem inuehunt, hic ipſorum error eſt proprius animiq́; figmentum à ueritate alienum. Neq; enim plures omnino dei ſunt, ſed unus tantummodo, quem, ut diximus, perſonarum trinitate diſtinctum uera colit religio. Dæmones autem quos appellant, eos ſacræ literæ angelos nominant; qui ſunt, ut à Græcorum Theologorum nonnullis definiuntur, ὀυσίαι νοεραὶ, ἀσώματοι ἀυτεξουσιάσαι, θεῷ λειτουργοῦσαι, χάριτι τὴν ἀθανασίαν εἰληφῦιαι. id eſt, ſubſtantiæ mente & intelligentia uigentes, incorporeæ, cum libera uitam degentes uoluntate, Deo inſeruientes; gratia immortalitatem aſſecutæ. ut ab alijs uerò, ϖνεύματα λειτουργικὰ, ἀποστελλόμενα παρὰ κυρίου εἰς Διακονίας, quod eſt, ſpiritus adminiſtri, qui à Domino ad miniſteria mittuntur. Cæterum qui ab illis heroës dicuntur, nihil aliud ſunt, quam corporibus exuti iuſtorum & uirtute præditorum animi, quos tum diuos, tum ſanctos uſurpare atque appellare ſolemus. Argumento

autem

autem fuerint quæ à Tzetze in enarratione τῶν ἔργων καὶ ἡμερῶν Heſiodi partim ex Platone, partim ex alijs ueteribus de huius uocis etymologia adducuntur. Adſcribam autem ipſius uerba, quo res perſpicua magis ſit. ἥρωες, *inquit,* λέγονται, ἢ ἀπὸ τοῦ ἔρας, ἤγουν τοῦ γῆς, κατὰ διάλεκτον· ἐξ ἧς πᾶς ἄνθρωπος ἥρως ἂν λεχθείη. ἢ ἀπὸ τοῦ ἀέρος. αἱ ψυχαὶ γὰρ τῶν ἀγαθῶν ἀνθρώπων διαζυγῆσαι σωμάτων, καθ' Ἕλληνας, τὸν ἀέρα περιπολοῦσαι ἐφορῶσι τὰ τῇδε. ἢ ἀπὸ τοῦ ἀρετοῦ, ὥς φησιν Ὀρφεύς.

Μητέρα δ' ἡρώων ἀρετὴν ἀπένερθε κλύοντες.

ἢ ἀπὸ τοῦ ἐράσεως καὶ μίξεως τῶν θεῶν. ληροῦσι γὰρ ὅτι θεοὶ θνηταῖς γυναιξὶ μιγνύμενοι ἐποίουν τὸ τῶν ἡρώων γένος. *quod eſt,* Heroës *dicuntur, aut ab* ἔρα, *id eſt, tellure, ſeu terra ſecundum linguam: ex qua omnis homo heros dicatur: aut ab aëre. Nam bonorum uirorum animæ corporibus exutæ, ex Græcorum ſententia, in aëre circumuectæ, ea quæ hic ſunt inſpiciunt ac procurant: aut à uirtute, ut inquit Orpheus.*

Heroum matrem uirtutem concelebrantes:

aut ab amore & deorum congreſſu ſeu commiſtione. Nugantur enim ac fingunt deos mortalibus commiſtos mulieribus, heroum genus procreaſſe. Neque uerò multum ab his diſſentiunt, quæ apud Varinum Phauorinum Camertem in explicatione uocis ἥρωες

haben-

habentur, quæ ſi quis legere uolet, inueniet nimirum reiectis poëticis illis figmentis, idipſum, quod dixi, uerum eſſe, animos bonorum ſimul & iuſtorum corporibus exutos, eos eſſe, quos illi ἥρωας appellarunt, eoq́; omnem ueterum notionem tendere. Sed his explicatis, redeamus ad illud, unde diuertimus, oſtendamusq́; in quibus ſecunda uerſetur iuſtitia, quam erga dæmones, id eſt, angelos eſſe, inquit autor, ſub angelis fortaſſe & heroas, id eſt, diuos & ſanctos comprehendens, neq; uerò id malè. Nam & noſtræ literæ ἰσαγγέλους eos eſſe pronunciant. Dicimus igitur ſecundam hanc iuſtitiam in horum ueneratione quadam, quam & iuſtam quicquid excellit habet, conſiſtere, ſed quæ uniuerſa ad Dei, boni omnis & excellentiæ autoris & fontis gloriam redundet, quod & de dilectione libro primo de doctrina Chriſtiana præcipit Auguſtinus. Quod uer ò deinceps ſequitur, tertia erga patriam & parentes, ſcire oportet rectum & hic ſeruatum ordinem, cum patriam quidem præpoſuerit, ſubiecerit autem parentes. Cæterum eam, quæ erga patriam eſt, iuſtitiam tum in libris de legibus, tum in Critone latius, legum & patriæ proſopopœia introducenda, executus eſt Plato, altius etiam aliquanto repetito negotio. Nam primum eo explicato, legum & iuris autoritate labefactata, Rempub. etiam & patriam labefactari & conuelli; deinceps

cuiuſmodi ſit ius,quod inter patriam legesq́; patrias, & quemlibet ſit hominem, ex ea, quam ad ſe mutuo affectionem obtinent,unde uniuerſæ erga patriam iuſtitiæ ratio peti debet, commodiſſimè commonſtrans inquit. οὐ πρῶτον μὲν σε ἐγεννήσαμεν ἡμεῖς, καὶ δι' ἡμῶν ἔλαβε τὴν μητέρα σου ὁ πατὴρ, καὶ ἐφύτευσέ; φράσον οὖν, τούτοις ἡμῶν τοῖς νόμοις, τοῖς περὶ τοὺς γάμους μέμφῃ τί ὡς οὐ καλῶς ἔχουσιν; οὐ μέμφομαι φαίην ἄν. ἀλλὰ τοῖς περὶ τὴν τοῦ γενομένου τροφήν τε καὶ παιδείαν, ἐν ᾗ καὶ σὺ ἐπαιδεύθης; ἢ οὐ καλῶς προσέταττον ἡμῶν οἱ ἐπὶ τούτῳ τεταγμένοι νόμοι παραγγέλλοντες τῷ πατρὶ τῷ σῷ, σὲ ἐν μουσικῇ καὶ γυμναστικῇ παιδεύειν; καλῶς φαίην ἄν. id eſt, Nonne primum quidem te genuimus,& per nos matrem tuam in uxorem accepit pater, teq́; ſeuit ac procreauit? Dic igitur, háſne ex nobis leges, quæ ad nuptias pertinent,in aliquo culpas, tanquam minus rectè latas? Minimè uerò, dixerim. Quid quæ ad procreati educationem & eruditionem, qua excultus es, ſpectant? An non rectè, quæ ex nobis in hoc conſtitutæ ſunt leges,patri tuo iniunxerunt, ut te in Muſica & gymnaſtica erudiret? Rectè ſanè dixerim. Ex quibus perſpicuè uidere eſt, patriam cõmunem quandam omnium noſtrum parentem eſſe, immo etiam ſanctius auguſtiusq́; quid, ut eam libro quinto de legibus non dubitauerit

uerit Plato dominam, quæ Dea eſſet ipſa, mortalium appellare, arbitror, quod ipſi non ſolum quod ſimus, ſed etiam quod bene nobis ſit, ſecundum Deum, magna ex parte acceptum referre debeamus. Quam quidem cum ad nos relationem, ſeu affectionem dicere mauis, obtineat, operæprecium eſt uidere, quomodo & nos uiciſſim ad illam affecti ſimus, quidq́; ipſi debeamus: quod cum pulchrè in ſequentibus à Platone explicetur, neque quicquam ferè ſit, quod magis omnium ſcire ac perpendere hodie interſit, in tanta præſertim malæ conſuetudinis corruptela, qua quilibet etiam contra leges & maiorum inſtituta conſpirare audet, quæ res in quam multarum rerumpub. perniciem ac interitum uergat uſu quotidiano diſcimus, non grauabor eum locum, quamuis longiorem, huc adſcribere, eoq́; magis, quod & eius, quæ erga parentes eſt, iuſtitiæ rationem quodammodo ſimul explicet. Habet autem ſe hoc modo: εἶεν, ἐπειδὴ δὲ ἡμῶν ἐγένου τε καὶ ἐξετράφης καὶ ἐπαιδεύθης, ἔχοις ἂν εἰπεῖν πρῶτον μὲν, ὡς οὐχὶ ἡμέτερος ἦσθα καὶ ἔκγονος καὶ δοῦλος, αὐτός τε καὶ οἱ σοὶ πρόγονοι; καὶ εἰ τοῦτο οὕτως ἔχει, ἆρ' ἐξ ἴσου οἴει εἶναι σοὶ τὸ δίκαιον καὶ ἡμῖν, καὶ ἅττ' ἂν ἡμεῖς σε ἐπιχειρῶμεν ποιεῖν, ταῦτα καὶ σὺ ἀντιποιεῖν οἴει δίκαιον εἶναι; ἢ πρὸς μὲν ἄρα σοι τὸν πατέρα οὐκ ἐξ ἴσου ἦν τὸ δίκαιον, καὶ πρὸς δεσπότην, εἰ

σοὶ ὢν ἐτύγχανεν, ὥστε ἅπερ πάσχοις, ταῦτα καὶ ἀντιποιεῖν, οὔτε κακῶς ἀκούοντα ἀντιλέγειν, οὔτε τυπτόμενον ἀντιτύπτειν, οὔτε ἄλλα τοιαῦτα πολλά, πρὸς δὲ τὴν πατρίδα ἄρα, καὶ τοὺς νόμους ἐξέσται σοι; ὥστε ἐάν σε ἐπιχειρῶμεν ἡμεῖς ἀπολλύναι, δίκαιον ἡγούμενοι εἶναι, καὶ σὺ δὲ ἡμᾶς τοὺς νόμους καὶ τὴν πατρίδα καθ' ὅσον δύνασαι ἐπιχειρήσεις ἀνταπολλύναι, καὶ φήσεις ταῦτα ποιῶν δίκαια πράττειν, ὁ τῇ ἀληθείᾳ τῆς ἀρετῆς ἐπιμελούμενος; ἢ οὕτως εἶ σοφὸς, ὥστε λέληθέ σε ὅτι μητρός τε καὶ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων προγόνων ἁπάντων, τιμιώτερόν ἐστι πατρὶς καὶ σεμνότερον καὶ ἁγιώτερον, καὶ ἐν μείζονι μοίρᾳ καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρὰ ἀνθρώποις τοῖς νοῦν ἔχουσι, καὶ σέβεσθαι δεῖ καὶ μᾶλλον ὑπείκειν καὶ θωπεύειν πατρίδα χαλεπαίνουσαν, ἢ πατέρα; καὶ ἢ πείθειν, ἢ ποιεῖν, ἃ ἂν κελεύοι, καὶ πάσχειν, ἐάν τι προστάττῃ παθεῖν, ἡσυχίαν ἄγοντα, ἐάν τε τύπτεσθαι, ἐάν τε δεῖσθαι, ἐάν τε εἰς πόλεμον ἄγῃ τρωθησόμενον ἢ ἀποθανούμενον, ποιητέα ταῦτα, καὶ τὸ δίκαιον οὕτως ἔχει, καὶ οὐχ ὑπεικτέον, οὐδὲ ἀναχωρητέον, οὐδὲ λειπτέον τὴν τάξιν. ἀλλὰ καὶ ἐν πολέμῳ καὶ ἐν δικαστηρίῳ, καὶ πανταχοῦ ποιητέον ἃ ἂν κελεύοι ἡ πόλις τε καὶ ἡ πατρίς· ἢ πείθειν αὐτὴν, ᾗ τὸ δίκαιον πέφυκε. βιάζεσθαι δὲ οὐχ ὅσιον οὔτε μητέρα, οὔτε πατέρα, πολὺ δὲ τούτων ἔτι ἧττον τὴν πατρίδα.

τρίδα. quod eſt, Age ſis ergo, poſtquam per nos natus, educatus & inſtitutus es, num aſſerere queas, primum quidem quod noſter gnatus & ſeruus non ſis tum ipſe, tum tui maiores? Et ſi hoc ſic ſe habeat, putáſne tibi æquale ius nobiſcum eſſe, & quæ nos in te ſtatuimus, eadem & te in nos ſtatuere æquum cenſes? An cum patre quidem æquale tibi ius minimè fuerit, nec cum domino, ſi quem haberes, ut quæ ab illis patereris, hæc & in ipſos rurſus deſignares, neq; malè audiens maledicta regereres, neq; uerberandus uiciſſim uerberares, in patriam uerò & leges id tibi licuerit, ut ſi te nos perdere aggrederemur, iuſtum id eſſe exiſtimares, & tu uicißim nos, leges & patriam, quantum in te eſt, perdere conareris, atq; hæc cum faceres, iuſte te facere aſſeuerares, qui reuera uirtutis ſtudium profiteris? Itáne uerò ſapiens es, ut te fugerit, quod matre ac patre reliquisq; maioribus omnibus honoratior ſit patria, & ueneranda magis, ac ſanctior, potioreq; loco & apud deos, & apud homines, qui mentis ſunt compotes, habenda, quodq; magis colere oporteat, obſecundare & blandiri patriæ offenſæ, quam patri? Et aut ſuadendo defugere, aut facere, quæ iuſſerit, & pati quietum, ſi quid patiendum iniunxerit, ſeu uerbera, ſeu uincula: & ſi in bellum produxerit uulnerandum aut occidendum, ſubeunda hæc ſunt, idq; ius eſt, neque cedendum, neq;

fugiendum, neq; deſerendum præſidium in quo locatus es: ſed & in bello, & in iudicio, & ubiq; facienda quæ ciuitas & patria iubeat: aut ipſi perſuadendo oſtendere, quæ iuſti & iuris ſit ratio: Vim autem afferre fas non eſt neque matri, neque patri, multo autem minus patriæ. Hactenus Plato. In quibus non ſolum tanquam ex principijs naturalibus eruta, quæ erga patriam eſt, iuſtitia conſpicitur, ſed etiam illa ſimul elucet atq; ad noſtram cognitionem uenit, quæ erga parentes eſt, ratione eius quod magis & minus eſt potius, quàm ſpecie, ab altera illa differēs. Quare minimè neceſſarium arbitror, ut de hac ſeperatim rurſum agamus: ſed eo tantum adiecto, non minimam erga parentes iuſtitiæ partem eſſe, ætate feſſos benignè uiciſſim alere & fouere, quod Græci γηροκομεῖν & γηροτροφεῖν, & à Ciconia, quæ inter aues una pietatis ſymbolum obtinet, ἀντιπελαργεῖν uocant, ad ſequentia pergamus, & quæ ſit ea, quam poſtremam eſſe diximus, quæ eſt erga eos, qui mortem obierūt, explicemus. Conſiſtit autem hæc in funere curando, exequijs cohoneſtandis, ſepultura reliquisq; iuſtis peragendis. Atque in his quatuor explicatis iuſtitiæ partibus εὐσέβειαν, quam nos pietatem uertimus, conſiſtere inquit autor: quæ aut iuſtitiæ quædam pars ſit, aut iuſtitiam ſubſequatur: quorum prius illud, ut uerius, amplectimur, dico autem, ut iuſtitiæ eam par-

tem eſſe ſtatuamus, quæ in ijs cernatur officijs, quæ ſanctioribus & auguſtioribus rebus debentur, omninoq́; ijs, quarum eſt ueneratio quædam: cui altera quaſi ex parte ea adhibeatur iuſtitia, quæ erga pares eſt & quos Græci ὁμοειδεῖς uocant. Cæterum quod comites iuſtitiæ facit ſanctitatem, ueritatem, fidem maliq́; odium, de ſanctitate quidem quid mihi uideatur dicam. Nam ego eam εὐσεβείας partem eſſe puto, maximeq́; cum ex Platonis Euthyphrone, qui tamen dialogus πειραστικὸς eſt, ut certa hinc uſquequaque autoris ſententia colligi nequeat, huiuſmodi propemodum erui ὁσιότητος definitio poſſit, ut ſit ὁσιότης, δικαιοσύνη περὶ τὴν τῶν θεῶν θεραπείαν ὑπηρετικὴν εἰς τὸ αἰτεῖν τε αὐτοὺς καὶ διδόναι ἐκείνοις ὀρθῶς ἃ δεῖ. quod eſt, Iuſtitia, quæ in deorum cernitur cultu adminiſtro, ab ijs petendi inuicemq́; ipſis dandi rectè quæ oportet: Illud certè ex Socratis ſententia manifeſtè cognoſcitur, τὸ ὅσιον τοῦ δικαίου μέρος εἶναι, id eſt, ſanctum iuſti partem eſſe, eamq́; adeò partem, quæ Deo ſuum tribuit: quæ cum latius pateat εὐσέβεια, ut ex ſuperioribus patet, ipſamq́; contineat, pars merito huius ſtatuatur, quemadmodum rurſus ipſa iuſtitiæ. De ueritate autem & fide, quomodo ad iuſtitiam pertineant, quæq́; eorum ſit ratio & natura in præcedentibus eſt dictum. Mali uerò odium, μισοπονηρία Græcis dici-

tur, quod iuſtitiam ſequatur, nulli dubium, cum eiuſdem ſit animi habitus, quem Græci ἦθος nominant, bonum amaſſe, & malum odiſſe.

ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΤΗΤΟΣ.

ἐλευθεριότητος δέ ἐστι τὸ προετικὸν εἶναι χρημάτων εἰς τὰ ἐπαινετά· καὶ ἡ δαψίλεια ἐπὶ τῶν εἰς τὰ δέοντα ἀναλωθῆναι· καὶ τὸ βοηθητικὸν εἶναι ἐν τῶν διαφόρων· καὶ τὸ φιλάνθρωπον· καὶ τὸ μὴ λαβεῖν ὅθεν μὴ δεῖ, καὶ ὅθεν δεῖ λαβεῖν. ἔστι ὁ ἐλευθέριος καὶ περὶ ἐσθῆτα καθάριος, καὶ περὶ οἴκησιν· καὶ κατασκευαστικὸς τῶν περιττῶν καὶ καλῶν, καὶ διαγωγὴν ἐχόντων ἡδεῖαν ἄνευ τοῦ λυσιτελοῦντος· καὶ θρεπτικὸς τῶν ζώων τῶν ἴδιον ἐχόντων τι, ἢ θαυμαστόν. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ ἐλευθεριότητι ἡ τοῦ ἤθους ὑγρότης, καὶ εὐαγωγία, καὶ φιλανθρωπία· ἔτι δὲ καὶ τὸ εἶναι ἐλεητικόν, καὶ φιλόφιλον, καὶ φιλόξενον, καὶ φιλόκαλον.

QVAE LIBERALITATIS.

Liberalitatis uerò eſt impendere pecuniam in res laudabiles: largitas

ſumptus in quæ oportet faciendi: 60
promptum in diſcrimine ad opem
auxiliumq́; ferendum eſſe: huma-
num: unde non oportet, non acqui
rere, & unde oportet, acquirere. Eſt
autem liberalis & in ijs, quæ ad ueſti-
tum ac domicilium attinent, mun-
dus & elegans: & qui ſe inſtruat or-
netq́; eximijs, pulchris & oblectatio
nem iucundam habentibus citra uti
litatis acceſſionem: & qui animalia,
aut uoluptatem aliquam, aut admi-
rationem afferentia alat. Comes au-
tem liberalitatis eſt animi laxitas, fa
cilitas & humanitas: inſuper autem
& miſericordem eſſe, amicorum a-
mantem, hoſpitalem & pulchri ſtu-
dioſum.

*In liberalitatis definitione explicanda, quod po-
tiſsimum ipſius ſit opus, in quo cernatur, ſatis oſten-
ſum arbitror. Hoc autem loco, quæ ab autore dicun-*

tur, maximam quidem partem perſpicua uidentur, ſed ſunt nonnulla tamen quæ accuratioris expoſitionis indigere non immerito quis exiſtimet. Quod itaq; primo inquit, liberalitatis eſſe, pecuniam impendere in res laudabiles, quæ eædem ſunt cum iſs, quas ſuperius honeſtas appellauit, apertam & cuiuis expoſitam habet intelligentiam, niſi quod in Græca uoce, τὸ προσθετικὸν εἶναι, *uis quædam latere uideatur non omnibus fortaſſe animaduertenda. Significare enim uult autor, huius uirtutis eſſe, non parcè neq; reſtrictè, ſed cumulatè maioreq́; menſura ſumptum facere in res honeſtas, cuiuſmodi ſunt politioris humanitatis, interiorum & reconditarum literarum, liberalium doctrinarum atq; ingenuarum, philoſophiæ, & ut uno nomine dicam, omnium ſcientiarum & artium, quæ uitæ uſum multipliciter iuuent, & ad humani generis perfectionem & beatitudinem faciant, ſtudia & horum profeßiones. Quod uerò ſecundo ſequitur loco, largitas ſumptus in quæ oportet faciendi, hanc habet ſententiam, ut huius uirtutis eſſe intelligamus, libenter & prolixè in quæ oportet (ſunt autem hæc, ut alicubi in Topicis inquit Ariſtoteles, & quæ neceſſaria ſunt, & quæ utilia, & quæ honeſta) ſumptum facere, quod priore illo eſt generalius latiusq́; patet. Quanquam ſunt, qui* τὰ Δέοντα *non ſic interpretentur, ſed ad medium & officium referant,*

quorum eſt & Theages in libro de uirtutibus, qui τοῦ μὴ δέοντος partes ὑπερβολὴν & ἔλλειψιν facit. Videtur autem & Cicero hanc uocis notionem ſecutus in Oratore ad Brutũ, cum inquit. Oportere enim, perfectionem declarat officij, quo & ſemper utendum eſt, & in omnibus. Decere, quaſi aptum eſſe conſentaneumq́; tempori & perſonæ. Sed uidemur & tres illæ ſignificationes ad hanc notionem accommodari poſſe, quod & quæ neceſſaria, & quæ utilia, & quæ honeſta ſunt, omnia ad officij quodammodo rationem pertineant. Et hæc quidem liberalitatis officia eſſe, ipſa manifeſtè definitio oſtendit. Neq; uerò & id, quod ſequitur, Promptum in diſcrimine ad opem auxiliumq́; ferendum eſſe, eodem pertinere, probatu difficile arbitror. Nam cum hæc una ſit uirtus, qua proximè ad Dei naturam accedimus, huic autem optimæ præſtantiſſimæq́; naturæ, ut uult Cicero, rectaq́; ratio, maximè proprium ſit bonitas & beneficentia, erit nimirum & liberalitatis opus & officium, beneficum ac benignum eſſe, & proinde in diſcrimine, atque ubi opus fuerit, ad auxilium ferendum promptũ. Huc accedit & illud, quod inquit Ouidius.

Conueniẽs homini eſt hominem ſeruare uoluptas,
Et melius nulla quæritur arte fauor.

Si igitur rectè à nobis ſuperius dictum eſt, nullam liberalitate uirtutem aliam ad conciliandum amorem

& be-

& beneuolentiam plus pollere potioremq́; eſſe, erit nimirum & huius uirtutis officij pars quædam, ea, quam dixi, auxilij ferendi promptitudo & alacritas. Cuius quidem affectionis bonæ & laudabilis, cum ma gna ex parte φιλανθρωπία, id eſt, amor erga homines, quam Latini humanitatem appellant, ſit cauſa, erit & eiuſdem huius uirtutis, τὸ φιλάνθρωπον εἶναι, id eſt, humanum eſſe, quod eſt, genus humanum amore & beneuolentia proſequi. Atq; in his quidem propriè hæc cernitur uirtus. In eo autem quod ſubiungitur, Vnde non oportet, non acquirere, & unde oportet, acquirere, quanquam aliquo modo, non perinde tamen propriè uerſatur, cum id potius, ut prius eſt dictum, ad iuſtitiam pertineat. Sed tamen & huius ſecundaria quadam ratione uirtutis, id eſſe, non malè ſtatuatur, maximeq́; cum quæſtus uideamus quoſdam liberales, quoſdam contrà illiberales & ſordidos haberi, de quibus primo Politicorum aliquouſq; mentionem facit Ariſtoteles, plenius autem Officiorum primo præcipit Cicero. Qui quidem libri quoniam omnium in manibus uerſantur, minimè neceſſarium eſſe duxi, huc ea transferre. Quæ ſequuntur, Eſt autem liberalis & in ijs, quæ ad ueſtitum & domicilium attinent, mundus & elegans: & qui ſe inſtruat ornetq́; eximijs, pulchris & oblectationem iucundam habentibus, citra utilitatis acceßionem: &

*qui animalia, aut uoluptatem aliquam, aut admiratio-
nem afferentia alat, ſunt quidem ea omnia, ſi uerba
ſpectes, aperta ſatis & perſpicua: ſed quæ non mini-
ma indigeant animaduerſione, quod habeant multas
cautiones. Videndum eſt enim, primum quidem, quod
ad ueſtitum & domicilium pertinet, quod etiam de ui-
ctu præceptum intelligatur, ne munditia odioſa ſit
& exquiſita nimium, quod plerunq; in huiuſmodi ni-
toris & ſplendoris affectatione uſuuenire ſolet. Vn-
de ferè inſatiabilis opum & poſſeßionum cupiditas
oritur, ex eaq; iniuſtitia, parumq; legitimæ ac hone-
ſtæ acquirendi remq; faciendi rationes, dum quili-
bet alterum epularum magnifico & lauto apparatu,
cultus ueſtitusq; non tam utili, quàm ſplendido orna-
tu, ædificiorum eleganti, accurata & ſuperuacanei
operis ſtructura, reliquaq; ſtulta & puerili magnifi-
centia ſuperare conatur, nulla modeſtiæ ac frugali-
tatis ratione habita. Quare optimũ arbitror fuerit,
Epicteti hic doctrinam ſequi, qui in Enchiridio ſuo
inquit.* τὰ περὶ τὸ σῶμα, μέχρι τῆς χρείας τῆς ψυ-
χῆς παραλαμβάνειν· οἷον τροφὰς, πόμα, ἀμπε-
χόνην, οἰκίαν, οἰκετίαν. τὸ δὲ πρὸς δόξαν, ἢ τρυ-
φὴν ἅπαν περίγραφε. *quod eſt, Quæ ad corpus per-
tinent, ad animi uſum uſque aſſumito, ut cibum, po-
tionem, amictum, domum, familiam. Quod uerò ad
gloriam ſplendoremq; aut delicias facit, id omne cir-*

cunſcri-

cumſcribito. Quibus nimirum ſignificare uult, cum animi corpus ſit inſtrumentum, hactenus corporis neceſsitatibus ſeruiendum ſubueniendumq;, quatenus ad animi uſus accommodatius & inſtructius id reddatur: quod uerò extra hunc modum & quaſi terminum prodit, id totum reſecandum, non ſolum, ut ſuperuacaneum, ſed etiam, ut periculoſi uſus, quodq; non raro ad perniciem manare ſolet. Sed idem hoc ſi ad id transferre uelimus, quod dicitur, Et qui ſe inſtruat ornetq; eximijs, pulchris & oblectationem iucundam habentibus, citra utilitatis acceſsionem: & qui animalia, aut uoluptatem aliquam, aut admirationem adferentia alat, uidebitur utiq; inter hæc repugnantia eſſe quædã, quod illud αὐταρκείας, quam frugalitatem uerti poſſe credo, dogma, ad uſum omnia referenda cenſeat: quæ autem hic dicuntur, ab uſu ad magnificentiam ſplendoremq; ac uoluptatem prouocent. Si igitur rectè ſe habere, quæ de αὐταρκείᾳ à philoſophis ſunt præcepta, putamus, recteq; à Pythagora in aureis carminibus dictum,

Μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον:

Eſt autem, ut pulchrè ueluti exemplo docet Epictetus, μέτρον κτήσεως, τὸ σῶμα ἑκάστῳ, ὡς ὁ ποὺς ὑποδήματος. & cætera quæ ſequuntur, non tam liberalitatis & uirtutis, quæ hic ab autore dicuntur, fuerint, quàm inſolentis atque ineptæ cuiuſdam ambitio-

bitio-

bitionis oſtentationisq́;, & , ut Græcè ſignificantius dicam, ἀβελτηρίας καὶ ἀπειροκαλίας, *hominum non intelligentium, in quibus uera hominis dignitas, uerus ſplendor ornatusq́; conſiſtat: neque quod, ut idem inquit.* τὸ καλῶς ζῆν τοῦ πολυτελῶς διαφέρει. τὸ μὲν γὰρ, ἐκ σωφροσύνης, καὶ αὐταρκείας, καὶ εὐταξίας, καὶ κοσμιότητος, καὶ εὐτελείας παραγίνεται· τὸ δὲ, ἐξ ἀκολασίας, καὶ τρυφῆς, καὶ ἀταξίας, καὶ ἀκοσμίας. τέλος δὲ, τοῦ μὲν, ἔπαινος ἀληθής· τοῦ δὲ, ψόγος. εἰ τοίνυν βούλει καλῶς ζῆν, μὴ ζήτει μετὰ πολυτελείας ἐπαινεῖσθαι. *quod eſt,* Honeſtè *uiuere & ſumptuoſè inter ſe differant.* Nam *illud quidem, ex temperantia, frugilitate, modeſtia, concinnitate & parſimonia proficiſcitur: hoc uerò, ex intemperantia, luxuria, immodeſtia & inconcinnitate.* Finis *autem, illius uera laus: huius uituperatio fuerit.* Proinde *ſi benè & honeſtè uiuere uis, ne ex ſplendore & ſumptibus laudem aucuperis.* Atq; *quod ad hunc locum attinet, ita in uniuerſum ſe ueritas recta'q; ratio habet.* Particulatim *autem quod ad uerba, nouiſſe oportet,* τὸ περιττὸν *dupliciter dici: uno modo, ut utili & opportuno quaſi ex altera parte adhibeatur, & ſignificet inane, redundans & ſuperuacuum: altero, ut neceſſario, indicetq́; ambitioſum quid, multum, copioſum & uarium, quod poſterius nos ſecuti, ut huic loco conuenientius, quæ ab autore* πε-

re περιττὰ dicuntur, eximia ſumus interpretati. καλὰ autem pulchra potius quàm honeſta uertimus, quod eam ſpeciem ac formam, quæ in oculos, nõ quæ in animum incurrat, hic ſignificari iudicem. Διαγωγὴν autem ἡδεῖαν ἔχοντα, id eſt, iucundam oblectationem habentia quæ dicantur, ex eo quod adiectum eſt patet, quod nimirum talia ea ſint, quibus nulla utilitas quæratur neceſſaria, ſed tædium potius uitetur, tempusq́; fallatur ac ſine fructu eximatur. De animalibus autem aut uoluptatem aliquam, aut admirationem afferentibus, alendis quæ dicuntur, cuiuis per ſe ſunt nota. Quæ ſequuntur liberalitatis comites, ex ijs, animi quidem laxitatem, quæ eſt ἤθους ὑγρότης Græcè, alij ἀραιότητα, id eſt, relaxationem, alij ἀφέλειαν, quam ſimplicitatem uocamus, uertunt. Nonnulli autem εὐκαταφορίαν εἰς τὰς ἡδονὰς καὶ ἐκθυμαλισμόν, quod eſt, procliuitatem ad uoluptates, &, ut ſit dicam, diffluentiam interpretantur. Sed poſtremum hoc uirtuti parum conuenire uidetur, niſi & illa, quæ ſuperius à liberalitate ſeiunximus, quis ei tribuenda cenſeat. Priorum utrumlibet ipſi pulchrè congruit. Quanquam ſimplicitas ueritatisq́; amor, quæ fallaciæ ſimulationisq́; artificio opponitur, magnanimitatis potius eſſe uideatur, quemadmodum & ipſi ab autore in ſequentibus tribui uidemus. Quare ut pro animi quadam relaxatio-

laxatione atque remiſsione requieq́; curarum hic accipiamus præſtare iudico, quæ liberalitatis maximè propria eſſe deprehenditur. Ευαγωγίαν *autem, quæ, ſi quis ad uerbum uertere uelit, flexibilitatem ſonat, nos facilitatem interpretati ſumus, eſſe definiunt dexteritatem quandam & morum ſuauitatem teneram atq; tractabilem, quam obſequium appellare* Terentius *uidetur, eiusq́; naturam in* Andria Simo *ſenex in* Pamphilo *filio luculentè apud ipſum deſcribere his uerbis.*

Sic uita erat: facile omnes perferre, ac pati,
Cum quibus erat cunq; una: his ſeſe dedere:
Eorum obſequi ſtudijs: aduorſus nemini:
Nunquam præponens ſe illis: ita, ut facillimè
Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.

De φιλανθρωπίᾳ *uerò, id eſt, humanitate, dictum eſt prius, quod ſit hominum quædam charitas & amicitia: quæ ut uera ſit & legitima, non ad noſtrum fructum fuerit referenda, ſed ad illorum commoda, quos diligimus, ut gratuita quædam ſit beneuolentia, non mercatura utilitatum noſtrarum.* Quod *uerò deinceps ſequitur.* Inſuper *autem & miſericordem eſſe, quid ſibi uelit, explicata miſericordia, perſpicuum futurum arbitror.* Eſt *igitur miſericordia ægritudo quæpiam ex alterius rebus aduerſis, quas quis indignè ac præter meritum patitur, quomodo propemo-*

dum Ariſtoteles libro Rhetoricorum ſecundo definiuit. Videtur autem & hoc aut liberalitalitis ſymptoma quoddam eſſe, aut ad eiuſdem concauſas pertinere: quemadmodum & quæ ſequuntur duo, Amicorum amantem eſſe, & hoſpitalem: quorum utrunq; quid ſit, cum per ſe ſatis ſit notum, explicationis non indigere uidetur. Illud autem, Et pulchri ſtudioſum, ſi ad eam referas formam & pulchritudinem, quæ in oculos incurrit, ad illegitimam illam & à nobis reiectam liberalitatis, ſeu potius ſtultæ & puerilis magnificentiæ partem ſpectabit: ſi uerò ad eam, quæ mente cernitur honeſti formam & quaſi faciem, non huius ſolum, ſed totius uirtutis cauſa quædam fuerit.

ΜΕΓΑΛΟΨΥΧΙΑΣ.

Μεγαλοψυχίας δέ ἐστι, τὸ καλῶς ἐνέγκειν καὶ εὐφύχως καὶ εὐτυχίαν καὶ ἀτυχίαν, καὶ τιμὴν καὶ ἀτιμίαν· καὶ τὸ μὴ θαυμάζειν μήτε τρυφὴν, μήτε θεραπείαν, μήτε ἐξουσίαν, μήτε τὰς νίκας τὰς ἐναγωνίους· ἔχειν δέ τι βάθος τῆς ψυχῆς, καὶ μέγεθος. ἔστι δὲ μεγαλόψυχος, ὁ οὐδὲ τὸ ζῆν περὶ πολλοῦ ποιούμενος, οὐδὲ φιλόζωος· ἁπλοῦς δὲ τῷ ἤθει, καὶ γενναῖος, καὶ ἀδικεῖσθαι δυνάμενος, καὶ οὐ τιμωρητικός. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ μεγαλο-

γαλοψυχίᾳ ἁπλότης, καὶ γενναιότης, καὶ ἀλη-
θεία.

QVAE MAGNANIMITATIS.

Magnanimitatis autem eſt, proſperam & aduerſam fortunam, honorem & ignominiam rectè & generoſè perferre ac pati: non admirari nec luxuriam, nec clientelam, nec potentiam, nec certaminibus partas uictorias: ſed altitudinem quandam animi & magnitudinem habere. Cæterum magnanimus eſt, qui nec uiuere ipſum magni æſtimet, nec uitæ ſit amans: ſed ſimplicis ingenij, & generoſus, quíq; iniuriam pati queat, & uindicationis minimè ſit cupidus. Subſequitur autem magnanimitatem ſimplicitas, generoſitas, & ueritas.

Quæ magnanimitatis ſunt explicaturus autor, ab ijs quæ in ipſius definitione poſita ſunt incipit, &

magnanimitatis eſſe inquit, Rectè & generoſè proſperam & aduerſam fortunam, honorem & ignominiam perferre ac pati, de quibus quam uim habeant, quaq; ratione ſint intelligenda, copioſè ſuperius eſt diſputatum, ut ſuperuacaneum eſſe uideatur, ea nunc hic repetere. Quod uerò eiuſdem eſſe inquit, Non admirari luxuriam, nec clientelam, nec potentiam, nec certaminibus partas uictorias: ſed altitudinem quandam animi & magnitudinem habere, id mihi rectiſſimè ab ipſo dictum uidetur, atq; ita adeò, ut à poſteriore & effectu, ad id quod prius eſt, cauſaeq; efficientis ratione obtinet, uideatur progreſſus, quod cum ex ijs commodiſſimè intelligi queat, quæ de his libro primo Officiorum tradit Cicero, non grauabor eum locum, quamuis longiorem, huc adſcribere. Omnino, inquit, fortis animus & magnus duabus rebus maximè cernitur: quarum una in rerum externorum deſpicientia ponitur, cum perſuaſum ſit, nihil hominem, niſi quod honeſtum decorumq; ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nulliq; neq; homini, neq; perturbationi animi, nec fortunæ ſuccumbere. Altera eſt res, ut cum ita ſis affectus animo, ut ſupra dixi, res geras magnas illas quidem & maximè utiles: ſed uehementer arduas, plenasq; laborum & periculorum, tum cauſa uitæ, tum multarum rerum, quæ ad uitam pertinent. Harum rerum duarum

rum ſplendor omnis & amplitudo eſt, addo etiam utilitatem, in poſteriore: cauſa autem & ratio efficiens magnos uiros, eſt in priore. In eo enim eſt illud, quod excellentes animos & humana contemnentes facit. Id autem ipſum cernitur in duobus: ſi & ſolum id, quod honeſtum ſit, bonum iudices, & ab omni animi perturbatione liber ſis. Nam & ea, quæ eximia plerisq; & præclara uidentur, parua ducere, eaq; ratione ſtabili firmaq; contemnere, fortis animi magniq; ducendum eſt. Et ea, quæ uidentur acerba, quæ multa & uaria in hominum uita fortunaq; uerſantur, ita ferre ut nihil à ſtatu naturæ diſcedas, nihil à dignitate ſapientis, robuſti animi eſt, magnæq; conſtantiæ. Non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate: nec qui inuictum ſe à labore præſtiterit, uinci à uoluptate. Ex quibus Ciceronis uerbis id, quod dixi, facile perſpici poteſt, eorum nihil, quæ hominum uulgus admiratur & ſtupeſcit, in quibusq; hæret ac penitus ſpe & mente defixum eſt, cuiuſmodi ſunt fucata illa bona, ut luxuria, clientelæ, potentia ciuilis, uictoriæ certaminibus partæ, quæq; reliqua ſunt eiuſmodi ſuſpicere nec magnifacere, ſed altitudine quadam animi & magnitudine hæc parua ducere, cõtemnere longeq; infra ſuam dignitatem poſita exiſtimare, efficientem quandam cauſam eſſe utriusq; fortunæ commodè & ut opor-

tet ſerendæ, itemq; honoris & ignominiæ. Videtur autem mihi huic ἀθαυμασίᾳ plus quippiam tribuiſſe Horatius, ut non ſolum huius ipſius, ſed etiam totius beatitudinis ipſam quodammodo cauſam & ſolam fecerit, cum inquit,

Nil admirari propè res eſt una Numici,
Solaq; quæ poßit facere, & ſeruare beatum.

Sed meo quidem iudicio, alia quædam res eſt, cui longè prius hæc tribuenda dignitas eſt & prærogatiua, cuius uis & in omni uirtute ac officio, & ad ipſam adeò beatitudinem ualet plurimum, & ut uerè quis excelſi ſit animi nō minimi momenti eſſe uidetur, quæ eſt, ut in Alcibiade priore docet Socrates, SE IPSVM NOVISSE, quod cui hoc adſit, etiam ſua nouerit: ex quo iuſta ſui, ſuorũq; æſtimatio oritur, & ex hac uera magnanimitas. Et huius quidem loci hæc fuerit ſententia. Cæterum quod ad uerba pertinet, quam nos luxuriam uertimus, Græcè τρυφὴ eſt, quam ſic apud ipſos definitam inuenio: τρυφή ἐστι, ἐπιλήδονος λιχνεία, καὶ πλεονασμὸς περίεργος, πρὸς ἡδυπάθειαν ἀεὶ τείνων, quod eſt, luxuria uoluptaria ingluuies, & redundantia opipara, & apparata exquiſitè nimium & curioſè, ſemper ad delectationem affectionisq; iucunditatem ſpectans. Θεραπείαν autem, quæ, ut hoc loco accipitur, τὸ πλῆθος ἐστὶ τῶν θεραπόντων, id eſt, famulorum multitudo, nos

do, nos idcirco clientelam ſumus interpretati, quod hæc uox Latina Græcæ illi, ſi utriuſq; originem ſpectes, pulchrè congruere uideretur, cum à colendo, ut uult Sipuntinus pontifex, clientela ſit deducta, ſignificetq; modo multitudinem clientium, modo officium & cultum, ijs tribuendum, quorum ſunt clientes, quod & θεραπείαν ſignificare in ſuo lexico annotat Phauorinus. Cæterum ἐξουσία, id eſt, potentia, quid hoc loco ſit, cuiuis notum arbitror, ut eam definire uideatur ſuperuacaneum. εναγωνίους autem νίκας, id eſt, certamine partas uictorias eiuſmodi uocat, cuiuſmodi ex Olympijs, Iſthmijs, Nemëis, Pythijs & conſimilibus ſacris & ſolennibus certaminibus reportare ſolent. Hæc igitur omnia non admirari, ut dictum eſt, ſed infra hominis dignitatem & præſtantiam eſſe exiſtimare, quod non eius partis, qua homo eſt homo, occaſione ad hæc conciliationem habeamus naturalem, dico autem rationis & mentis, ſed uel animoſæ, uel cupidineæ, magnanimitatis eſſe, inquit: Sed altitudinem quandam animi & magnitudinem habere, per altitudinem quidem, Græcè βάθος eſt, uel conſtantiam & firmitatem animi ſignificans, qua fiat, ut nihil à naturæ ſtatu diſcedamus, ſed uſque recto & honeſto nitamur, quod quæ altè radices egerunt, difficulter labefactari poßint, ut libro quarto Aeneïdos pulchrè apud Maronem deſcribitur.

Ac ueluti annoſam ualido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant: it ſtridor, & altè
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes.
Ipſa hæret ſcopulis, & quantū uertice ad auras
Aethereas, tantum radice in tartara tendit.

Vel profundos ipſius receſſus, quibus ſe à corporis & exteriorum commercio ſubducens ad intima penitus recipit, ibiq; ſua bona conſiderat, &

Iudex ipſa ſui totam ſe explorat ad unguem,

neq; amplius foras proſpicit, nec opinione famaq; ducitur, in Perſij illo acquieſcens,

Nec te quæſieris extrà.

per magnitudinem uerò, robur & quaſi neruos, quod quæ magna ſunt, robuſta & ualentia plurimum eſſe ſoleant. Quod uerò deinde ſubijcitur, Magnanimum eſſe, qui nec uiuere ipſum magni æſtimet, nec uitæ ſit amans, id non ita intelligendum, ut temerè & pro re quauis periculum ſubeat, atq; in uitæ diſcrimen ſe inferat (neq; enim hoc magni eſt animi, ſed eius potius, quem græci tum ϖυκνοκίνδυνον tum φιλοκίνδυνον appellant) ſed cum opus ſit, pro rebus magnis, cuiuſmodi ſunt religio, ueritas, patria, parentes, amici, capitis periculum adire, uitæq; diſpendium facere ſuſtineat, ut quam facile intelligat nō magnifaciendam, ſed honeſtati & officio poſtponendam. Fuerit autem

magnanimus, ut ſequitur, & ingenij ſimplicis, id eſt, non fucati, non fallacis, non eruditi artificio ſimulationis: & generoſus, non, ut græcorum habet prouerbium, ἐκ βαλαντίου, id eſt, ex marſupio, neq; uerò ex robore ac corporis uiribus, quomodo poſteriores eum æſtimare & appellare cœperunt: ac nec ex generis claritate atq; ſtirpis antiquitate ſolum: quod, etſi naturam quodammodo uelle uidemus, ut quemadmodum ex homine homo, & ex bellua naſcitur bellua, ſic & ex bonis bona naſcantur, plerunq; tamen id aſſequi nequeat, non in iſs modo, ubi uitæ conſuetudo, doctrina & inſtitutio plurimum poteſt, ſed ne in iſs quidem ſemper, quæ, quod in ipſis aut ſola, aut præcipuè certè dominetur & rerum potiatur natura, quam φύσιν Græci uocant, ex eo φυτῶν nomen, ut ego dixerim, ſibi inuenerunt. Neque enim generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt, ſed neglecta, & neceſſario cultu & curatione deſtituta degenerare plurimum ac ſylueſtrem induere naturam ſolet: ſed uera animi celſitate, qua non, quod ex terra ducit genus, ſed diuini potius ſeminis ortum referat. Nam hæc, ſi quid ego iudico, ſolida & uera eſt generoſitas: illæ autem, adumbratæ quædam nobilitatis, fictæ & commentitiæ imagines: Quiq; iniuriã pati queat, & uindicationis minimè ſit cupidus, quæ & ipſa rectè magnanimo tribui, non difficile eſt perſpicere. Nã

ſi magnanimus eſt generoſus, generoſum autem eſſe, diuini ſemininis ortum, ut diximus, referre eſt, ubique autem Deus in ſacris literis, & elegantiorum etiam gentilium philoſophorum ſcriptis, patiens, longanimus, clemens, & ad uindicationem pœnasq; repetendas tardus ac lentus eſſe deſcribitur, nulli dubium, quin qui uerè magnanimus eſt, idem & iniuriarum patiens ſit futurus, & minimè uindex. Subſequitur autem, inquit, magnanimitatem ſimplicitas, generoſitas & ueritas: quæ quid ſint, ex ſuperioribus eſt manifeſtum. Ac de ijs quidem, quæ ad uirtutes ſingulas pertinent, hactenus dictum eſto. Supereſt ut de ijs quoq;, quæ ad uitij cuiusq; naturam referuntur, agamus. Satius autem eſſe uidetur, cum ſecundus hic liber primo ſe iam aut æquarit, aut eius etiam modum exuperauerit, & eo hic terminato, quæ reliqua ſunt tertio libro inſtituendo & adijciendo comprehendere ac complecti.

Libri ſecundi
FINIS.

I V E L
I IN
Ariſtotelis de uirtutibus librum, cõmentariorum liber tertius.

ΑΦΡΟΣΥΝΗΣ.

Ἀφροσύνης δέ ἐστι, τὸ κρίνειν κακῶς τὰ πράγματα· τὸ βουλεύσασθαι κακῶς· τὸ ὁμιλῆσαι κακῶς· τὸ χρῆσθαι κακῶς τοῖς παροῦσιν ἀγαθοῖς· τὸ ψευδῶς δοξάζειν περὶ τῶν εἰς τὸν βίον ἀγαθῶν καὶ κακῶν. παρακολουθεῖ δὲ τῇ ἀφροσύνῃ ἀπειρία, ἀμαθία, ἀκρασία, ἐπαριστεριότης, ἀμνημοσύνη.

QVAE INSIPIENTIAE.

INſipientiæ uerò eſt, deprauatè res diiudicare; perperam conſultare: cum

cum hominibus malè uerſari; præſentibus peruerſè uti bonis; falſam de rebus in uita bonis ac malis habere opinionem. Comites autem inſipientiæ ſunt, imperitia, inſcitia, inſulſitas, ineptia, obliuio.

In enumerandis ijs, quæ ad quamq; uitioſitatem pertinent, non eodem ſemper uſus eſt autor ordine, quo in ijs, quæ ad uirtutum uniuſcuiuſq; naturam referebantur, uel quod id ſtudio ipſi uſquequaq;, ne in uirtutibus quidem fuerit, uel quod in ijs, quæ ad turbidos & inordinatos animi motus ſpectant, ordo non admodum reperiri ſoleat. Quare nec nos hic curioſiores erimus, nec de eorum inter ſe ordine multum laborabimus, autoris ſenſa, quàm fieri poterit exquiſitißimè, explicuiſſe contenti. Inquit igitur inſipientiæ eſſe, deprauatè res dijudicare, id eſt, in rerum iudicio decipi & à ueritate aberrare. Res autem hoc loco intelligere oportet, ea quæ in uita uerſantur, cuiuſmodi ſunt iuſta & iniuſta, honeſta & turpia, utilia & inutilia, bona, mala, de quibus magna inter homines controuerſia eſt, plurimumq; inter ſe digladiantur. Appellant autem Græci huiuſmodi deprauatum iudicium ἁμάρτημα, nos erratum, ut arbitror, ſeu

errorem nominare poſſumus. Cæterum id duplex eſt, quoniam ea, quæ de nunc agit autor, inſipientia, ut prius eſt dictum, in duas diuiditur ſpecies, alteram quidem opinatricem, alteram uerò ratiocinatricem. Vtriuſq; autem hoc loco mentionem fieri uidemus: & eius quidem, quod in ratiocinatione uerſatur, prius: quod uerò in opinatione conſiſtit, poſterius. Nam perperam conſultare, mentis quadam agitatione & ratiocinatione utentem eſt errare. Falſam uerò de rebus in uita bonis ac malis habere opinionem, opinando decipi. Sed de hoc paulò poſt agemus. Nunc prius illud accuratius conſiderantes, quid perperam ſit conſultare uideamus. Sanè ſi rectè ſuperius conſultatio à nobis eſt diſinita, cum ex appetitu profectam & incitatam inquiſitionem earum, quæ noſtræ poteſtati ſubiectæ ſunt res agendæ, eam eſſe diximus, erit nimirum, perperam cõſultare, in huiuſmodi inquiſitione labi ac decipi. Id autem bifariam accidere poteſt. Aut enim, cum error aliquis finis conſtitutioni interuenerit: aut cum in particulari aliquo eorum, quæ ad finem referuntur, ex conſecutionis ignoratione erratum fuerit, quorum illud quidem ex ingenij indole ac uitæ conſuetudine potiſsimum pendet, ut rectè nimirum dixerit ille,

Adeò à teneris aſſuſcere multum eſt:

hoc uerò ex intelligentiæ & cogitationis ui ac doctri-

na,

na, aut eius neglectione. Ex hac autem mala conſilij capiendi deliberatione, ſeu potius conſilij & rationis inopia fit, ut qui ſic ſint affecti, & ad orationis & ad uitæ ſocietatem, quò tamen hominem Deus & natura finxiſſe formaſſeq́; uidentur, ſint inepti, & præſentibus peruerſe utantur bonis, cum eorum rectum ignorent uſum. Quare, ut rectè in Euthydemo Platonis concludit Socrates, ne bona quidem ea his fuerint, cum uſu, non poſſeßione hæc ſint æſtimanda, cuius cauſa prudentia & ſapientia habetur. Inſipientia uerò non ſolum in bonorum & malorum diſcrimine hæret ac fallitur, ſed etiam quæ ſua natura bona ſunt, abuſu mala efficit, atq; adeò deteriora plerunq;, quam quæ ſimpliciter ſunt mala. Cæterum huius inſipientiæ, ut antea etiam dictum eſt, fuerit, falſam de rebus habere opinionem in uita bonis & malis. Nam ſic legendum, ἀγαθῶν καὶ κακῶν, non ἀγαθῶν καὶ καλῶν, tum ex ijs, quæ ſuperius de prudentia ſunt diſputata, tum quæ de inſipientia in Cebetis tabula habentur, ubi inquit, Conſimili autem modo & in hac explicatione ſe res habet. Inſipientia enim hominibus Sphinx eſt. Obſcurè autem ac in ænigmate proponit & hæc, quid bonum, quid malum, quid neque bonum neq; malum in uita ſit, facile eſt animaduertere. Per falſam autem opinionem habere, quod Græcè eſt, ψευδῶς δοξάζειν, quid hoc loco ſit intelli-

intelligendum, ex iis, quæ paulò antè ſunt dicta, perſpicuum eſt. Neq; uerò quæ bona & mala uocet obſcurum. Nam & ea, quæ animi, & quæ corporis, & quæ externa à Peripateticis appellata ſunt, omnia nunc ab ipſo ſignificari uerisſimile eſt. Comites autem inſipientiæ eſſe inquit, imperitiam, inſcitiam, inſulſitatem, ineptiam, obliuionem: de quorum ſingulis quid ſentiendum ſit conſideremus, ab imperitia exorſi. Si igitur imperitia, nam ſic ἀπειρίαν interpretor, quod inexperientia Latinis auribus inſolentior uox eſſe uideatur, experientiæ eſt contraria, hæc autem prudentiæ concauſa eſſe probata eſt, erit & imperitia contrarij habitus, id eſt, inſipientiæ itidem concauſa, quod contrariorum, ut in genere dicamus, contraria ſint cauſæ. Cæterum quid ipſa ſit nihil opus eſſe arbitror ut dicamus, cum ex contrarij definitione nota eſſe posſit. Ἀμαθίαν autem, quam nos inſcitiam uertimus, uariè & multipliciter à Platone explicatam inuenio, ut modò eam ἀνοίας, id eſt, amentiæ ſpeciem faciat, in diuiſione altera ex parte τῆ μανίᾳ, quã inſaniam uertit Cicero, adhibitam, ut in Timæo: modò ἀγνοίας, id eſt, ignorantiæ deteriorem partem, quæ erratorum omnium, quæ in uitam & actiones incurrunt, ſit cauſa, ut in Alcibiade priore, & Sophiſta: ex quibus nonnulla, ut inſcitiæ natura fiat apertior & perſpicua magis, huc aſcribemus. In Sophiſta

igitur

igitur hoſpes Eleates oſtendere uolẽs duo eſſe doctrinarum genera, quorum alterum, δημιουργικὴ διδασκαλία, *alterum* παιδεία *appellari ſolet, ex ignorantiæ, cuius liberatio quædam doctrina eſt, diuiſione id hoc modo docere aggreditur,* τὴν ἄγνοιαν, *inquiens,* ἰδόντες εἰ πῆ κατὰ μέσον αὐτῆς τομὴν ἔχει τινά. διπλῆ γὰρ αὕτη γιγνομένη δηλονότι καὶ τὴν διδασκαλικὴν δύο ἀναγκάζει μόρια ἔχειν, ἓν ἐφ' ἑνὶ τῶν αὐτῆς ἑκατέρῳ. Θεαί. τί οὖν; καταφανές πῇ σοι τὸ νῦν ζητούμενον; ΞΕ. Ἀγνοίας γοῦν μέγα τί μοι δοκῶ καὶ χαλεπὸν ἀφωρισμένον ὁρᾶν εἶδος, πᾶσι τοῖς ἄλλοις αὐτῆς ἀντίσταθμον μέρεσι. Θεαί. ποῖον δή; ΞΕ. τὸ μὴ κατειδότα τι δοκεῖν εἰδέναι· δι' οὗ κινδυνεύει πάντα ὅσα διανοίᾳ σφαλλόμεθα, γίγνεσθαι πᾶσι. Θεαί. ἀληθῆ. ΞΕ. καὶ δὴ καὶ τούτῳ γε οἶμαι μόνῳ τῆς ἀγνοίας, ἀμαθίαν τοὔνομα προσρηθῆναι. Θεαί. πάνυ γε. ΞΕ. τί δὲ δὴ τῷ τῆς διδασκαλικῆς ἄρα μέρει τῷ τοῦτο ἀπαλλάττοντι λεκτέον; Θεαί. οἶμαι μὲν οὖν ὦ ξένε, τὸ μὲν ἄλλο, δημιουργικὰς διδασκαλίας· τοῦτο δὲ ἐνθάδε γε παιδείαν δι' ἡμῶν κεκλῆσθαι. *quod eſt, Ignorantiam conſiderantes, an alicubi in medio ſectionem quampiam recipiat. Nam bipartito hæc diſtributa, & doctrinam nimirum duas habere partes cogit, ut illius utriq; generi harum utraq;, altera alteri adhibeatur. Theæt. Quid ergo? perſpicuum tibi aliquo*

aliquo modo quod quæritur eſt? Hoſp. Ignorantiæ quidem certè magnam mihi uidere uideor & moleſtam quandam ſeparatam ſpeciem, omnibus eius reliquis partibus præponderantem. Theæt. Qualem tandem? Hoſp. Qua quis quæ neſcit ſcire ſe arbitratur: ex qua uidentur omnia, in quibus cogitatione & cõſilio labimur, errata omnibus proficiſci. Theæt. Vera narras. Hoſp. Atq; hanc adeò ignorantiæ partem ſolam inſcitiæ nomine nuncupatam exiſtimo. Theæt. Rectè ſanè. Hoſp. Sed ei doctrinæ parti, quæ ab hac nos liberat, quod tandem nomen iniungemus? Theæt. Meo quidem certè iudicio ô hoſpes, alteram illam partem, artificioſas doctrinas: hanc uerò, diſciplinam, noſtri appellant. Ex quibus Platonis uerbis id colligere licet, cum duplex ſit ignorantia, & altera quidem mitior minusq; exprobranda, cuiuſmodi uulgarium, quiq; planè ſunt rudes, eſſe uidemus, quibus & hoc ipſum perſuaſum eſt, quod quæ neſciant ignorent, quam κατ᾽ ἀπόφασιν libro primo poſteriorum reſolutoriorum uocat Ariſtoteles: altera uerò inſolentior & odioſior, qua falſa & inani ſcientiæ & cognitionis opinione inflati homines, quæ neſciunt, ſcire ſe arbitrantur, quæ κατὰ διάθεσιν eidem appellatur, poſteriorem hanc, eam eſſe, quæ proprio nomine Græcis ἀμαθία dicitur: cuius remedium fuerit, quam Græci παιδείαν nominant, quæ latius eſt à no

*bis in commentarijs noſtris in Cebetis tabulam expli-
cata, cum prioris illius* δημιουργικὴ διδασκα-
λία, *id eſt, opifex ſeu artifex doctrina, quæ hoc
nomen ex eo inueniſſe uidetur, quod in tradendis
artibus ea utamur, ſit liberatio. Eandem autem &
erratorum omnium, quæ in uitam & actiones incur-
rant, cauſam eſſe ſtatuit, hic quidem breuius & obſcu
rius: in Alcibiade autem priore plenius & illuſtrius,
cum inquit.* Σω. Ἐννοεῖς οὖν ὅτι καὶ τὰ ἁμαρτή-
ματα ἐν τῇ πράξει διὰ ταύτην τὴν ἄγνοιαν ἐστί,
τὴν τοῦ μὴ εἰδότα οἴεσθαι εἰδέναι; Αλ. Πῶς αὖ λέ-
γεις τοῦτο; Σω. Τότε που ἐπιχειροῦμεν πράττειν,
ὅταν οἰώμεθα εἰδέναι ὅ, τι πράττομεν. Αλ. Ναί.
Σω. ὅταν δὲ γέ που τινὲς μὴ οἴωνται εἰδέναι, ἄλλοις
παραδιδόασι. Αλ. Πῶς δ' οὔ; Σω. Οὐκοῦν οἱ τοι-
οῦτοι τῶν μὴ εἰδότων ἀναμάρτητοι ζῶσι, διὰ τὸ ἄλ-
λοις περὶ αὐτῶν ἐπιτρέπειν; Αλ. Ναί. Σω. Τίνες
οὖν οἱ ἁμαρτάνοντες; οὐ γάρ που οἵγε εἰδότες.
Αλ. Ου δῆτα. Σω. Ἐπειδὴ δὲ οὔθ' οἱ εἰδότες, οὔθ'
οἱ τῶν μὴ εἰδότων εἰδότες ὅτι οὐκ ἴσασι, ἢ ἄλλοι
λείπονται ἢ οἱ μὴ εἰδότες, οἰόμενοι δ' εἰδέναι;
Αλ. Οὐκ. ἀλλ' οὗτοι. Σω. Αὕτη ἄρα ἡ ἄγνοια τῶν
κακῶν αἰτία, καὶ ἡ ἐπονείδιστος ἀμαθία, *quæ
ſunt. So. Animaduertis igitur errores & peccata
actioni interuenire ex hac ignorantia, qua quis quæ
neſcit, ſcire ſe arbitretur? Al. Et hoc quonam tan-*

dem

dem pacto inquis? So. Tunc ferè ad agendum aggredimur, cum quod agimus, ſcire nos arbitramur. Al. Ita eſt. So. Atenim cum aliqui ſe quippiam non arbitrentur ſcire, id alijs exequendum tradunt. Al. Quidni? So. Nonne ergo ex ijs, qui neſciunt, hi ab errore immunes ac liberi uitam degunt, eo quod alijs id negotij dent atq; committant? Al. Certè quidem. So. Quinam igitur ſunt, qui errant & peccant? Neque enim qui ſcientia ſunt inſtructi. Al. Minimè uerò illi quidem. So. Verum enim quoniam neque qui ſciunt:neque ex ijs, qui neſciunt, qui ſuæ ſibi inſcitiæ ſunt conſcij: an alij præterea reliqui ſunt, quàm ij, qui quæ neſciunt, ſcire ſe exiſtimant? Al. Non, ſed hi ſcilicet. So. Hæc itaq; ignorantia malorum eſt cauſa, & uituperabilis inſcitia. Atq; hæ quidem duæ huius uocis ἀμαθίας ſignificationes eſſe uidentur, quarum altera, ut minus malum, maiori, inſaniæ nimirum opponitur, altera uerò, ut maius & odioſius, leuiori ac mitiori. Itaq; illic, ea erit ἄγνοια, quæ κατ᾽ ἀπόφασιν Ariſtoteli dicitur: hic uerò, quæ κατὰ διάθεσιν, cum qua eandem eſſe inſaniam, in Alcibiade poſteriore uult & probat Socrates. Neque uerò quiſquam hoc loco mihi obijciat, non eſſe habendum animi morbum, quæ κατ᾽ ἀπόφασιν eſt ἄγνοια, ſed intelligat & hanc pro morbo à Platone haberi. Inquit igitur in Timæo ad hunc modum. καὶ διὰ πάντα

ταῦτα τὰ πάθη νῦν κατ' ἀρχὰς ἄνους ψυχὴ γίγνεται τὸ πρῶτον, ὅταν σῶμα ἐνδεθῇ θνητῷ, quod eſt, Et has omnes ob affectiones nunc ab initio animus amens redditur primum cum in corpore mortali illigatur. Neque enim ab alia amentia, amens animus hic ut dicatur, conſentaneum eſt, quàm ea, quæ Peripateticis alio nomine ἡ κατ' ἀπόφασιν ἄγνοια appellatur, quæ tamen Platoni, ut qui animam eorum omnium in obliuionem uenire, quæ antequam in corpus ingrederetur nouerat, uult, & ipſa κατὰ διάθεσιν eſt, ut nihil mirum ſit, ad animi morbos hanc ab ipſo referri, & ἄνοιαν, quam παντελῆ ἀφροσύνην Platonicorum nonnulli definiunt, potius in Timæo appellari, quàm ἄγνοιαν, quæ etiam in unius rei ignoratione conſiſtere poteſt. Cæterum præter has duas uocis ἀμαθίας, id eſt, inſcitiæ acceptiones, & tertia quædam, libro de legibus tertio, apud eundem Platonem inuenitur, quam & maximam eſſe cenſet. Cernitur autem hæc in diſſenoſine quadam uoluptatis & doloris cum ea, quæ ratione nititur opinio: quæ cum doctiſſimè ibidem deſcribatur, operæpretium eſſe duxi & eum hic locũ ſubijcere. Habet autem ſe hoc modo. τίς οὖν ἡ μεγίστη δικαίως ἂν λέγοιτο ἀμαθία; σκοπεῖτε εἰ συνδόξει καὶ σφῷν λεγομένην. ἐγὼ μὲν δὴ τὴν τοιάνδε τίθεμαι. ΚΛ. Ποίαν; ΑΘ. Τὴν, ὅταν τῷ τι δόξαν καλὸν ἢ ἀγαθὸν εἶναι, μὴ φιλῇ τοῦ-

λῇ τοῦτο, ἀλλὰ μισῇ· τὸ δὲ πονηρὸν καὶ ἄδικον δοκοῦν εἶναι, φιλῇ τε καὶ ἀσπάζηται, ταύτην τὴν διαφωνίαν λύπης τε καὶ ἡδονῆς πρὸς τὴν κατὰ λόγον δόξαν, ἀμαθίαν φημὶ εἶναι τὴν ἐσχάτην· καὶ μεγίστην δὲ, ὅτι τοῦ πλήθους ἐστὶ τῆς ψυχῆς. τὸ γὰρ λυπούμενον καὶ ἡδόμενον αὐτῆς, ὅπερ δῆμός τε καὶ πλῆθος πόλεώς ἐστιν. ὅταν οὖν ἐπιστήμαις, ἢ δόξαις, ἢ λόγῳ ἐναντιῶται τοῖς φύσει ἀρχικοῖς ἡ ψυχὴ, τοῦτο ἄνοιαν προσαγορεύω· πόλεώς τε, ὅταν ἄρχουσι καὶ νόμοις μὴ πείθηται τὸ πλῆθος· ταὐτὸ δὴ καὶ ἑνὸς ἀνδρὸς, ὁπόταν καλοὶ ἐν ψυχῇ λόγοι ἐνόντες, μηδὲν ποιῶσι πλέον· ἀλλὰ δὴ τούτοις πᾶν τοὐναντίον. ταύτας πάσας, ἀμαθίας τὰς πλημμελεστάτας ἔγωγ' ἂν θείην πόλεώς τε καὶ ἑνὸς ἑκάστου τῶν πολιτῶν, ἀλλ' οὐ τὰς τῶν δημιουργῶν. εἰ ἄρ' ἐμοῦ καταμανθάνετε ὦ ξένοι ὃ λέγω;

quæ ſunt. Quænam igitur merito ac iure maxima dicatur inſcitia? Conſiderate an & uobis id quod dicitur probetur. Nam ego quidem hanc maximam eſſe ſtatuo. Cl. Quam? Ath. Eam inquam, cum aliquis, quod ſibi honeſtũ & bonum eſſe uidetur, id non amet, ſed oderit: quod uerò malum & iniuſtum, amet atq; amplectatur, hanc ego doloris & uoluptatis cum ea, quæ ratione nititur opinio, diſſenſionem, inſcitiam eſſe extremam aſſero: & uerò maximam, cum animæ ſit multitudinis. Nam quod ipſius dolet & læta-

tur, tanquam plebs & infima ciuitatis multitudo eſt. Cum igitur ſcientiæ, aut opinioni, aut rationi, quæ natura imperare debent, aduerſetur ac repugnet anima, id ego amentiam appello: & ciuitatis, cum magiſtratibus & legibus non paret multitudo: & unius itidem uiri, cum quæ in animo ſpecioſæ inſunt rationes, nihilo plus efficiant, ſed omne his contratrium eueniat. Has omnes, inſcitias ego maximè præcipites & deuias eſſe ſtatuerim tum ciuitatis, tum c[illegible]ū uniuſcuiuſq;: minimè autem quæ opificum ſunt. An'ne quod dico hoſpites percipitis? Hactenus Plato: apud quem iam uidimus triplicem huius uocis ἀμαθίας, id eſt, inſcitiæ, ſignificationem, quarum illa, qua κατ᾽ ἀπόφασιν ἄγνοιαν ſignificat, quam artificum ſeu opificum ἀμαθίαν appellat Plato, etſi propriè ad hoc uitium non pertinet, tamen inter eius concauſas non malè, ut arbitror, numeretur. Quæ uerò κατὰ διάθεσιν eſt, ex qua, tanquam fonte quodam, omnia proficiſcuntur errata, quæ Græcis ἁμαρτήματα dicuntur, ea aut idem cum inſipientia fuerit, (certè in Euthydemo τῇ φρονήσει καὶ σοφίᾳ, id eſt, prudentiæ & ſapientiæ, ipſam opponit) aut eius pars, uel potius cauſa quædam, quæ in diſciplinæ priuatione conſiſtit. Tertia autem, quæ in diſſenſione quadam uoluptatis & doloris & omnino affectus cū ratione, & quæ ratione nititur, opinione uerſatur,

quæ

quæ πάθους eſt cauſa, (uoco autem πάθος hoc loco, ψυχῆς κίνησιν ἀπειθῆ τῷ λόγῳ, id eſt, animi motum rationi repugnantem, quemadmodum ἁμάρτημα, id eſt, errorem, aut falſum iudicium, aut opinionem falſam, aut rationem à ueritate aberrantem) fuerit nimirum & ipſa inſipientiæ pars quædam, neque uerò, ut ex Platone cognouimus, ea minima. Quanquam uidetur ultima hæc ἀμαθίας acceptio, alienior quodammodo eſſe, quæq; magnæ ſit quæſtioni, ſed quam nunc præterire uiſum eſt, ſuo loco aliâs à nobis tractandam. Quæ apud autorem ſequuntur tria, inſulſitas, ineptiã, obliuio, ex ijs inſulſitas, eſt ἀκρασία Græcè, quam quis uocem me ſic uertiſſe forſitan mirabitur. Sed mirari deſinet, ſi cauſam intellexerit: quæ talis eſt. Nam cum ἀκρασία duplicem habeat originem, deriueturq; aut ἀπὸ τοῦ κεράννυσθαι, aut ἀπὸ τοῦ κρατεῖν, & priuante particula ᾱ, illinc quidem deducta ἀκρασία, contemperationis & condimenti quadam in priuatione conſiſtet, eritq; ea, quam diximus, inſulſitas, affectio leporis & ſalis expers, quam huic loco maximè conuenire ſignificationem exiſtimo: hinc uerò, incontinentia ſeu impotentia, cuius ſuperius eſt deſcripta natura. Poſſet tamen & hoc quoq; loco pro incontinentia accipi, iuxta ea, quæ ſuperius ex Platone ſunt adducta. Sed prius illud magis mihi placet. Ineptiam autem

ἐπὰξίσεξότητα uerti, quod hæc uox Latina Græcæ pulchrè congruere uideatur, etiamſi neget apud Ciceronem Cæſar, apud Græcos ei uitio nomen impoſitum. Adſcribam autem eius hic uerba ex ſecundo libro de Oratore ad Quintum fratrem, quibus huius uitioſæ affectionis natura plenè deſcribitur. Sunt autem hæc. Ego me herculè, inquit Cæſar, ex omnibus Latinis uerbis huius uerbi uim uel maximam ſemper putaui. Quem enim nos ineptum uocamus, is mihi uidetur ab hoc nomen habere ductum, quod non ſit aptus: idq; in ſermonis noſtri conſuetudine perlatè patet. Nam qui aut tempus quid poſtulet non uidet, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum, quibus cum eſt, uel dignitatis, uel commodi rationem non habet, aut deniq; in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus eſſe dicitur. Hoc uitio cumulata eſt eruditiſſima illa Græcorum natio. Itaque quod uim huius mali Græci non uident, ne nomen quidem ei uitio impoſuerunt. Vt enim quæras omnia, quomodo Græci ineptum appellent non reperies. Hactenus Cicero, apud quem licet Cæſar neget hoc uitium à Græcis cognitum, ac proinde nomen apud ipſos non inueniſſe, mihi tamen neutrum horum uidetur. Nam & permulta inueniuntur apud Græcos de temporis opportunitate, de faciendorum ac dicendorum modo, de perſonarum, quibus cum uerſamur, uel dignitatis,

uel commodi habenda ratione, deq; id genus reliquis præclarè præcepta, quæ certè non extarent, niſi hanc uitioſam agnouiſſent affectionem: & ἐπαριστερότητος nomen, ab alia licet notione ſecundum tranſlationem appellatum, huic pulchrè uoci, ut dictum eſt, conuenit. Cæterum ut ſe habet Δεινότης, id eſt, induſtria ad prudentiam, ſic ἐπαριστερότης, id eſt, ineptia, ad inſipientiam. Videtur autem & à nonnullis, quæ Ariſtoteli Δεινότης dicitur, Δεξιότης etiam appellari. Vnde in Ranis apud Ariſtophanem,

τὸ δὲ μεταστρέφεσθαι
πρὸς τὸ μαλθακώτερον,
Δεξιοῦ πρὸς ἀνδρός ἐστι καὶ φύσει Θηραμένους.

In quibus poëta non ſolum Theramenis ingenium & mores notare, aut potius falſò traducere uidetur, ſed etiam, quod ab enarratoribus non animaduerſum miror, ad uocis etymologiam alludere, & ex hac, quem Δεξιὸν uocet ἄνδρα, quaſi κατ᾽ ἐπεξήγησιν ſignificare. Θηραμένης enim ἀπὸ τοῦ θηρᾶν, id eſt, uenando, ſeu inquirendo, & μένους, quod animum & robur ſonat, nomen habere ductum uidetur, ut nimirum ſtrenuum uenatorem, & inquiſitorem ſignificet, qui quem ſibi ſcopum, tanquam feram, propoſitum habeat, facile aſſequatur, & ueluti apprehendat, quod τοῦ Δεινοῦ, id eſt, induſtrij eſſe, ſuperius eſt traditum. Itaq; & in ſequētibus Theramenem σοφὸν

ἀνδρὰ καὶ δεινὸν εἰς τὰ πάντα appellat. Quæ ultimo apud autorem loco habetur ἀμνημοσύνη, (eſt autem hæc memoriæ defectio quædam, aut etiam priuatio) nos obliuionem, quod aliud commodius nomen non inueniremus, uertimus, ad inſipientiæ concauſas, ut memoria ad prudentiæ, pertinet.

ΟΡΓΙΛΟΤΗΤΟΣ.

Ὀργιλότητος δέ ἐστι εἴδη τρία· ἀκροχολία, πικρία, βαρυθυμία. ἔστι δὲ τοῦ ὀργίλου, μὴ δύνασθαι φέρειν μήτε τὰς μικρὰς ὀλιγωρήσεις, μήτε τὰς ἐλαττώσεις· εἶναι δὲ κολαστικὸν, καὶ τιμωρητικὸν, καὶ εὐκίνητον πρὸς ὀργὴν, καὶ ὑπὸ ἔργου, καὶ ὑπὸ λόγου τοῦ τυχόντος. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ ὀργιλότητι, τὸ προξυντικὸν τοῦ ἤθους, καὶ εὐμετάβολον· καὶ ἡ πικρολογία· καὶ τὸ ἐπὶ μικροῖς λυπεῖσθαι· καὶ ταῦτα πάσχειν ταχέως, καὶ παρὰ βραχὺν καιρόν.

QVAE IRACVNDIAE.

Cæterum iracundiæ tres ſunt ſpecies: excandeſcentia, acerbitas, moroſitas. Eſt autem iracundi, nec par-

uas

uas neglectiones deſpicationesq́ue, nec dignitatis imminutiones ferre poſſe: ſed ad pœnas repetendas uindicandumq́; procliuem eſſe, & quouis facto dictoq́; ad iram incitabilem. Sequitur autem iracundiam, concitatio animi & mutabilitas: amarulentia: ob paruas res dolere: huiuſmodi affectibus ſubito corripi & ad breue tempus.

Inter ea, quæ ad iracundiam referuntur, primo loco tres eius ſpecies collocat, quod rectè mihi facere autor uidetur, cum ſuperius ipſius definitio ſit propoſita. Et primam quidem eam, quæ Græcis ἀκροχολία, quaſi extremam bilioſitatem quis diceret, appellatur: unde ἀκρόχολοι qui nominantur, ab ipſis definiuntur, οἱ καθ' ὑπερβολὴν ὀξεῖς καὶ πρὸς πᾶν ὀργίλοι καὶ ἐπὶ παντί, quod eſt, qui ſupra modum præcipites ſunt, & contra quoduis & ob quoduis iracundia incitantur. Appellati autem ſic uidentur hi à bilis extremitate, humoris nimirum maximè ad iracundiam opportuni. Secundam uerò πικρίαν facit, ex qua qui πικροὶ dicuntur (arbitror, quod,

quod, quæ per humoris qualitatem ſignificatur, acer bitas penitus ſe in eorum animos inſinuarit, ipſosq́; ſua ui quaſi imbuerit) δυσδιάλυτοι, *inquit Ariſtoteles,* εἰσὶ, καὶ πολλὺν χρόνον ὀργίζονται. κατέχουσι γὰρ τὸν θυμόν. παῦλα δὲ γίνεται, ὅταν ἀνταποδιδῶσιν. ἡ γὰρ τιμωρία παύει τῆς ὀργῆς, ἡδονὴν ἀντὶ τῆς λύπης ἐμποιοῦσα. *id eſt, difficulter placabiles ſunt, & longo tempore iraſcuntur. Continent enim iram. Sedatio autem affertur, ſi retaliarint. Vltio enim iram ſedat, doloris loco uoluptatem inducēs. Ex quibus Ariſtotelis uerbis ſatis intelligimus, à prioribus illis* ἀκροχόλοις *differre hos* πικροὺς, *quod ſtabilior & diuturnior horum ſit ira, altiusq́; animo ſederit ac repoſita ſit, nec prius facile ceſſet, quàm puniendi libidinem expleuerit: illorum autem ſubita magis & præceps, & quæ, cum quaſi extet atq; emineat, in ſummoq́; ebulliat, quemadmodum quæ efferueſcunt omnia, minimè autem in profundo reſiderit ac contineatur, cito quidem erumpat in actum & uindicationem, totamq́; ſe effundat: ſed cito etiam deſinat & quieſcat, neque perinde ut illorum, implacabilis ſit: quod in ipſis eſt optimum. Tertiam autem iracundiæ ſpeciem, quæ hic* βαρυθυμία, *(ſic enim legendum, non* ῥαθυμία, *quæ eſt ſocordia ſeu ignauia Latinè, magisq́; ad timiditatem aut intemperantiam pertinet (nam quod annotat Phauorinus pro animi ma-*

mi magnitudine à nonnullis uſurpari, ſine exemplo nonrecipio) non ſolum ex Stobæo conſtat, ſed etiam ex Ariſtotele, eiuſq; paraphraſte Andronico, qui hos, in quibus hoc eſt uitium, τὸ βάρος ἔχειν, καὶ τὴν ὀργὴν περιφέρειν aſſerunt, quorum mox uerba ſubijciemus) nuncupatur, quod eſt, ſi uerbum quis uerbo reddere conetur, grauanimitas, moroſitatem Latinis credo appellari, in quarto autem Ethicorum ad Nicomachum χαλεπότης Ariſtoteli dicitur, ex ſecunda latente ac recondita temporis longinquitate intenſa, uehementioreq; ac atrociore facta ortum habere, ex his Ariſtotelis uerbis, loco iam à me citato, cognoſcere licet. τούτου δὲ μὴ γινομένου, τὸ βάρος ἔχουσι. Διὰ γὰρ τὸ μὴ ἐπιφανὲς εἶναι, οὐδὲ συμπείθει αὐτοὺς οὐδείς. ἐν αὑτῷ δὲ πέψαι τὴν ὀργὴν, χρόνου δεῖ. εἰσὶ δὲ οὗτοι ἑαυτοῖς ὀχληρότατοι, καὶ τοῖς μάλιστα φίλοις. χαλεποὺς δὲ αὐτοὺς λέγομεν, ἐφ᾽ οἷς τε μὴ δεῖ χαλεπαίνοντας, καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ, καὶ πλείω χρόνον, καὶ μὴ διαλλαττομένους ἄνευ τιμωρίας ἢ καὶ κολάσεως, *quæ ſunt. Quod ſi minus eueniat, graue id ſibi ducunt. Nam quod affectio illorum minus conſpicua ſit, neque conſolationem ipſis quiſquam adhibet. Ad iram autem ſecum concoquendam longinquitate temporis eſt opus. Cæterum qui huiuſmodi ſunt, ſibi moleſtiſsimi & amicorum præcipuis eſſe ſolent. Difficiles autem*

ipſos

ipſos uocamus, cum & quæ non oportet ſtomachentur, & uehementius quàm oportet, & longiore tempore, nec ſine animaduerſione, aut etiam ſupplicio placentur. Nam ſic, quæ hoc loco apud Ariſtotelem habentur, & legenda & diſtinguenda ſunt, ut omnia hæc ad tertiæ ſpeciei, id eſt, χαλεπότητος *explicationem pertineant. Quod ſi animaduertiſſet ſeu Euſtratius, ſeu Aſpaſius, minus certè hic confuſa ipſius fuiſſet explicatio, minusq́; in his ſpeciebus diſtinguendis laboraſſet, ac plus aliquantulum profeciſſet, faciliusq́; ſe, quibus nunc tenetur anguſtijs, expediuiſſet. Sed ne quis hanc noſtram loci huius caſtigationem ac diſtinctionem, inſuper autem & explicationem, tanquam domi noſtræ natam reijciat, ſciat nobiſcum Andronicum Rhodium nobilem illum Peripateticum philoſophum facere, qui in ſua in hos Ariſtotelis libros paraphraſi, de tribus hiſce ſpeciebus differens, hoc modo inquit,* καθ' ὑπερβολὴν γ' εἰσὶν ὀξεῖς οἱ ἀκρόχολοι καὶ πρὸς πᾶν ὀργίλοι καὶ ἐπὶ παντί. ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα ἔχουσιν ἀπὸ τοῦ ἄκρου πεπηγμένον. οἱ δὲ πικροί, καὶ δυσδιάλυτοι, καὶ πολὺν χρόνον ὀργίζονται. οὐ γὰρ εὐθὺς φανεροῦσι τὸν θυμόν, ἀλλὰ κατέχοντες κρύπτουσι. παύονται δὲ τοῦ θυμοῦ ἐπειδὰν ἀνταποδώσωσι κακὰ τοῖς λελυπηκόσιν. ἡ γὰρ τιμωρία ἡδονὴν αὐτοῖς ἐμποιεῖ, καὶ διὰ τοῦτο τῆς λύπης ἀφίστησι. τούτου δὲ μὴ γινομένου,

τὸ βάρος ἔχουσι, καὶ περιφέρουσι τὴν ὀργήν. διὰ γὰρ τὸ μὴ φανεροῦν τὴν ὀργὴν, οὐδὲ παραμυθίας παρὰ τῶν ἀνθρώπων τυγχάνουσιν, οὐδὲ παρακαλεῖ τις αὐτούς. ὅθεν καὶ κατέχουσιν αὐτὴν, μέχρις ἂν αὐτὴ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ διαλυθῇ καὶ πεφθῇ. τοῦτο δὲ διὰ χρόνου γίνεται. οἱ τοιοῦτοι δὲ καὶ ἑαυτοῖς εἰσιν ὀχληροί, καὶ τοῖς μάλιστα φίλοις. οὗτοι δὴ καὶ χαλεποὶ καλοῦνται, οἵτινες χαλεπαίνουσιν ἐφ᾽ οἷς οὐ δεῖ, καὶ ὅτε μὴ δεῖ, καὶ ὅσον οὐ δεῖ, καὶ πλεῖστον ὀργίζονται χρόνον, καὶ οὐ διαλλάττονται εἰ μὴ ἀντιλυπήσουσι τοὺς λελυπηκότας. οὗτοι δὲ καὶ συνοικῆσαι χαλεποί, καὶ βαρεῖς τοῖς ὁμοδιαίτοις.

quæ ſunt, Supra modum autem præcipites ſunt extremibilij, & contra quoduis & ob quoduis iracundia incitantur. Vnde & nomen habent ab extremitate ductum. Acerbi autem tum difficulter placabiles ſunt, & multo iraſcuntur tempore. Neque enim iram ſtatim produnt, ſed continentes ipſam cælant & occultant. Iraſcendi autem finem faciunt, poſtquam ijs, qui læſerunt, mala rependerint. Vltio enim uoluptatem ipſis facit, ac proinde dolore liberat. Quod ſi minus eueniat, graue id ſibi ducunt, iramq; circunſerunt. Nam quod iram non prodant, neque ex hominibus ſolatium reportant, neq; quiſquam ipſos conſolatur. Vnde & ipſam retinent, donec ex ſe diſſoluatur & concoquatur. Id autem temporis fit longinquitate.

quitate. Cæterum huiuſmodi & ſibi ſunt moleſti, & ijs, qui maximè ipſis ſunt amici. Hi ſanè & difficiles uocantur, qui & quæ non oportet ſtomachantur, & quando non oportet, & quantum non oportet, & longiſsimo iraſcuntur tempore, nec placantur niſi dolorem rurſus ijs, à quibus dolore affecti ſunt, attulerint. Sunt autem hi & in conuictu difficiles, & contubernalibus moleſti. Ex *quibus quidem* Andronici *uerbis, & id quod diximus manifeſtè patet, & harum trium iracundiæ ſpecierum natura ſatis, ut arbitror, eſt perſpicua. Quare ad id quod proximum eſt progreſsi, quæ iracundo ab autore tribuantur uideamus.* Inquit *igitur, iracundi eſſe, nec paruas neglectiones deſpicationesq́;, nec dignitatis imminutiones ferre poſſe: quod quis forſitan primo aſpectu, non tam iracundi, quàm puſilli animi eſſe putet, eoq́; magis quod inter ea, quæ ad puſillanimitatem referuntur, quædam, horum non multum diſsimilia inueniantur. Sed nouiſſe oportet, non abſurdum uideri debere, eadem ad diuerſas referri uel uirtutes, uel uitioſitates, potiſsimumq́; eas, quæ uicinæ ſint naturæ, ita tamen ut diuerſa quadam id faciat ratione, quod & hic uſu uenire uidemus.* Nam *nec iracundi, nec qui parui ſunt animi uel minimas neglectiones deſpicationesq́; ferre poſſunt, ſed hi quidem ſtatim animum demittunt & contrahunt, tanquam extrema paſsi: illis uerò animus*

excitatur atq; inflammatur, & cor cumulatur ira, ut diuerſa in his illiſq; ſit, non ferendi ratio: quòd mihi etiam quæ ſequuntur ſatis oſtendere uidētur, quæ, quis ſit non ferendi modus, quaſi exponunt: ſed ad pœnas repetendas uindicandumq́; procliuem eſſe, & quouis facto dictoq́; ad iram incitabilem. In quibus, quod & ſuperius in horum contrarijs, quæ ad lenitatem pertinent, explicandis annotauimus, debitus & naturalis ordo non eſſe ſeruatus uidetur. Nam prius omnino fuerit, ad iram quouis facto dictoq́; incitabilem eſſe: poſterius uerò, ad pœnas repetendas uindicandumq́; procliuem. Sed, ut antea dictum eſt, in ijs, quæ ad uitia pertinent, non admodum de ordine ſolicitum eſſe oportet. Illud autem admonuiſſe non abs re fuerit, quod apud Stobæum, eius loco, καὶ τιμωρητικὸν, καὶ ἄγριον legatur: quæ lectio, non minus rectè, quàm altera ſe habet. Eſt enim & hoc iracundi agreſtem & furioſum eſſe. Cæterum ἄγριον Ammonius quidem ὠμὸν, id eſt, immanem, crudelem & inhumanum, Phauorinus autem ἀνήμερον, quod eſt, immitem, & efferatum, interpretatur: addit autem, ἀγριότητα, etiam κακίας ὑπερβολὴν, id eſt, uitioſitatis exuperantiam ſignificare. Sunt autem huic uitio adeò obnoxij plerique, ut non ſolum leuiſſimas ſæpe ob cauſas præter decorum, & quàm res poſtulet, in famulos ſæuiant, ſed etiam in equos & bruta animalia,

malia, & quod longè eſt fœdius, nonnulli etiam, ſi quid fortè offendat, aut minus quod agunt procedat, in inanimatis crudelitatem exerceant, aut claues mordendo, aut in fores calcitrando, ut ille apud Galenum in libro, cui titulus, de proprijs animi affectionibus agnoſcendis & curandis, aut lapides, aut ligna, aut quoduis tandem obuium feriendo. Sed hæc quidem ridicula feritas & immanitas: Illa uerò execranda, deteſtabilis & odio digna eſt atrocitas animi, quam in Medea, utpote barbara, fingit Euripides: in qua pulchrè rationis luctatio cum ira deſcribitur, ut nunc quidem facinoris atrocitas & impietas ob oculos uerſetur, ac proinde liberorum cædem, quam moliebatur, reformidet, & cunctetur: nunc uerò ſuperante ira, tanquam ferociore equo, ad crudelitatem impellatur: rurſus à ratione reuocetur, mox rurſus ab iracundiâ eôdem protrudatur, ac ſic aliquandiu ſurſum ac deorſum agitata, ad extremum iræ manus dans uinciq; ſe patiens, in hæc prorumpat uerba,

καὶ μανθάνω μὲν οἷα τολμήσω κακά.
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,
ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς.

Eſt autem hæc affectio, quam in Medea deſcribit Euripides, ἀκρασία ὀργῆς, id eſt, iræ incontinentia, quæ & ipſa ad iracundiam pertinet, ut ea, quæ huic

eſt con-

eſt contraria, iræ continentia ad lenitatem ſeu manſuetudinem aliquo modo reducatur. N*am nomen, quod exquiſitè iracundiæ opponatur, forſitan haud facile inueniamus. An uerò non ita cenſendum, ſed iræ continentiam, ad manſuetudinem uiam potius eſſe quandam, ut tolerantia, ad fortitudinem, imperfecta utraq; cum ſit uirtus? Quod ſi recipimus, & horum contraria* ἡμιπλῆς *erunt* κακίαι, *quæ & ſententia uerior eſt. Cæterum ut iræ incontinentiam in* Medea *barbara, ut dixi, parumq́; commodè inſtituta, eleganter deſcribit* Euripides, *ita &* Homerus *eiuſdem affectionis continentiam quanta arte in* Vlyſſe *&* Achille, *hominibus* Græcis *& politioribus literis ac humanitatis diſciplina eruditis depingit, non ſolum rationis cum ira luctationem dextrè fingendo exprimens, ſed etiam utriuſq; affectionis locis ac ueluti ſedibus, inſuper autem mentis ac rationis natura & origine, quod nimirum cœleſtis ſit diuinaq́;, commonſtratis. Extat autem alter de* Achille *apud poëtam locus, libro primo* Iliados, *alter uerò de* Vlyſſe, *libro* Odyſſeæ *uigeſimo, ſi quis fortè & id requirat. Quod uerò deinceps apud autorem ſubijcitur, Sequitur autem iracundiam concitatio animi & mutabilitas: amarulentia: ob paruas res dolere: huiuſmodi affectibus ſubito corripi & ad breue tempus, id partim iracundiæ ſymptomata, partim eiuſdem & cauſas quaſdam*

continet. Nam τὸ προξυντικὸν τοῦ ἤθους, id eſt, animi concitatio, ſeu potius, ut ſic dixerim, concitabilitas & irritabilitas, formalis quædam iracundiæ cauſa eſſe uidetur. Dicitur autem προξυντικὸς, ᾧ ὁ θυμὸς ῥαδίως τε καὶ παραχρῆμα ἐπὶ τῷ τυχόντι ὀξύνεται, ἤγουν διεγείρεται καὶ ἐκπολεμοῦται, quod eſt. Irritabilis eſt, cui animus facilè & continuò ob rem quamuis acuitur, ſiue excitatur & infenſus redditur. Appellatur autem hic & compoſito nomine ὀξύθυμος, quaſi acutanimus quis dicat, cui μακρόθυμος, quem longanimum nuncupare licet, opponitur. Mutabilitas autem uitioſæ huius affectionis ſymptoma quoddam eſt, partim quidem ex bilis natura, quæ in his dominatur, partim uerò & ex formali ipſius uitij cauſa proueniens. Cuiuſmodi enim qui iraſcuntur, quo iraſcuntur tempore, affectione præditos eſſe uidemus eiuſmodi & iracundos perpetuo habere, rationi eſt conſentaneum. Sed non ſecus atque quorum uentriculus multis calidis, pinguibus, oleoſis refertus, nunc quidem eructando, quibus grauatur, eijcere & expellere conatur, nunc uerò rurſus amplecti, continere & concoquere, uariè torquentur & turbantur: ſic & quorum animus ardet, & cor cumulatur ira, nunc huc, nunc illuc trahuntur, dum modò quidem illam quaſi euomere, eumq; punire, qui uideatur læſiſſe iniuria, appetunt: modò uerò eandem comprimere

ac ueluti concoquere, aut certè in idonea tempora ſeruare ulciſcendi animos: atq; ita uariè agitati, τὸ εὐμετάβολον, de quo hic agimus, ſatis oſtendunt atq; declarant: quod quoniam pulchrè libro Odyſſeæ uigeſimo in Vlyſſe exprimitur, non grauabor eum locum & hic ſubijcere.

ἀτὰρ αὐτὸς ἐλίσσετο ἔνθα καὶ ἔνθα,
Ως δ' ὅτε γαστέρ' ἀνὴρ πολέος πυρὸς αἰθομένοιο
Εμπλείην κνίσης τε καὶ αἵματος, ἔνθα καὶ ἔνθα.
Αἰόλλει· μάλα δ' ὦκα λιλαίεται ὀπτηθῆναι·
Ως ἂρ ὅγ' ἔνθα καὶ ἔνθα ἐλίσσετο μερμηρίζων.

Verum in ijs quidem, qui irati ſunt, quo tempore uitioſa hac affectione laborant, mutabilitas hæc tantum cernitur, cum aliâs, maximè uerò ſiquidem prudentes ſint, conſtantia & firmitas animi in ipſorum potius uita eluceſcat. Iracundis autem perpetuum hoc eſt malum, ut quorum moribus id natura ſit inſitum. Amarulentia uerò, id eſt, ſermonis ac orationis aſperitas & acerbitas, ſymptoma quidem & ipſa iracundiæ fuerit, à bilis qualitate & ſapore Græcis πικρολογία nominata, perinde ac ſi quis amariloquentiam dicat. Nam ſic legendum eſſe, quemadmodum certè & apud Stobæum legitur, non μικρολογίαν; quæ eſt exquiſita nimium & curioſa rerum etiam minutarum æſtimatio, quæ ad illiberalitatem propriè pertinet, ut ſuo dicetur loco, cuius uel per ſe manife-

ſtum arbitror. Videtur autem id quod ſequitur, ob paruas res dolere, huius loci deprauationis occaſionem dediſſe, quod ipſum iracundiæ efficiens quædam eſſe cauſa, non malè iudicetur. Sed apud Stobæum aliter nonnihil hoc loco legitur. Nam poſt καὶ ἡ μικρολογία habetur, καὶ ἡ μεταμέλεια, καὶ τὸ λυπεῖσθαι, καὶ ἥδεσθαι, quod mihi nec ipſum malè ſe habere uidetur. Nam pœnitudinem iracundiæ eſſe comitem etiam Horatius ſtatuit, in quibus inquit.

Qui non moderabitur iræ,
Infectum uolet eſſe dolor quod ſuaſerit, & mens:
Dum pœnas odio per uim feſtinat inulto.

Vbi tamen hoc animaduertiſſe operæpretium fuerit, mentem pro animo, καὶ ἀντὶ τοῦ θυμοῦ, quod haud facile alibi inuenias, uſurpatam. Dolere autem primò, cum quis ſe iniuria læſum arbitretur, deinde ex ſumendo ſupplicio pœniſq; repetendis uoluptatem capere, iracundiæ eſſe, ex iјs quæ ſuperius ex Ariſtotele & Andronico ſunt citata, ſatis conſtat. Iam uerò & quod ultimo habetur loco, καὶ ταῦτα (ſic enim omnino, non τὰ αὐτὰ legendum) πάσχειν ταχέως καὶ πρὸς βραχὺν καιρόν, quod eſt, & his ſubito affectionibus corripi & ad breue tempus, huic etiam lectioni ſuffragari uidetur, cum ſignificet & dolorem & uoluptatem, utrunq; in iracundis breuis eſſe temporis, in doloris quidem ex iniuriæ illatæ opinione conce-

ne concepti locum, ſuccedente mox ea, quæ punitionem ac uindicationem ſequitur uoluptas: eam autem rurſum ſtatim excipiente pœnitentia, ut ex ijs, quæ ex Horatio *paulò antè citauimus, eſt perſpicuum. Quare & hoc ſymptoma quoddam iracundiæ habendum eſt. Sed his explicatis ad ea progrediamur, quæ timiditati ab autore tribuuntur. Sunt autem hæc.*

ΔΕΙΛΙΑΣ.

Δειλίας δέ ἐστι, τὸ ὑπὸ τῶν τυχόντων φόβων εὐκίνητον εἶναι, καὶ μάλιστα τῶν περὶ θάνατον, καὶ τὰς σωματικὰς πηρώσεις· καὶ τὸ ὑπολαμβάνειν κρεῖττον εἶναι ὁπωσοῦν σωθῆναι, ἢ πλουτῆσαι καλῶς. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ δειλίᾳ μαλακία, ἀνανδρία, ἀπονία, φιλοψυχία. ὕπεστι δέ τις καὶ εὐλάβεια, καὶ τὸ ἀφιλόνεικον τοῦ ἤθους.

QVAE TIMIDITATIS.

Timiditatis autem eſt, quibuslibet facile terroribus commoueri, præcipueq́; mortis & corporearum mutilationum ac læſionum: arbitrari præſtantius eſſe quomodocunque

ſeruari incolumem, quàm mortem honeſtè oppetere. Cæterum comites ſunt timiditatis mollitia animi, effœminatio, ignauia, nimius uitæ amor. Subeſt autem quædam uerecundia, & animus à contentione alienus.

Quæ timiditati hic ab autore tribuuntur, eorum pleraq; cum ipſius cohærent definitione, quædam etiam eius ambitu clauduntur. Nam facilè quibuslibet terroribus commoueri, præcipueq; mortis, id quidem profectò ipſa continetur definitione: quod quid ſibi uelit ſuperius ſatis eſt explicatum. Corporearum autem mutilationum ac læſionum metu ſolicitari angiq;: itemq; arbitrari præſtantius eſſe quomodocunq; ſeruari incolumem, quàm mortem honeſtè oppetere, non illa quidem ipſis uerbis in definitione habentur, ſed cum ea tamen neceſſario cohærent. Nam qui quibuslibet terroribus commouetur, cum omnia formidet, etiam corporis mutilationes ac læſiones horrere & reformidare conſentaneum eſt, maximeq; cum talis ſit quiſpiam, quem φιλοσώματον, id eſt, corporis nimium amantem, Græci uocant: quod qua ipſi ratione accidat paulò pòſt docebimus. Qui uerò mortis,

eis, tanquam interitus cuiuſdam omnia tollentis atq; delentis, metu præcipuè exhorreſcunt, cum ſummum ipſam malum ſimpliciter exiſtiment, uitam certè, quæ morti eſt contraria, bonorum abſolutè extremum iudicent neceſſe eſt. Ex quo fit, *ut uitam quamlibet, turpem etiam atq; infamem, honeſtiſſimæ ac glorioſiſſimæ morti anteponant. Cæterum hoc ipſis meritò accidere uidetur, uel Græcæ uocis etymologia id indicante.* Nam ſi, *ut in Cratylo uult Socrates,* ἡ Δειλία, τῆς ψυχῆς σημαίνει δεσμὸν εἶναι ἰσχυρόν. τὸ γὰρ λίαν, *inquit,* ἰσχύς τίς ἐστι. Δεσμὸς οὖν ὁ λίαν, καὶ ὁ μέγιστος τῆς ψυχῆς, ἡ Δειλία ἂν εἴη. *quæ ſunt.* Δειλία, *id eſt, timiditas, animi ſignificat uinculum eſſe robuſtum.* λίαν *enim, quod eſt, ualdè, robur quodpiam eſt. Vinculum igitur ualidũ & maximum animi, timiditas fuerit, hoc nimirum uitio timidorum animus corpori ualidè illigatus, ægrè ſe à corpore diuelli ac diſtrahi patitur, ac proinde nimiũ uitam corpusq; tueri ſtudet, eaq; quoquo modo declinare, quæ his nocitura uideantur. Cuius rurſum affectionis, dico autem, huius in corpore & corporeis illigationis, nimiæq; cum ijs coniunctionis, homini cauſa eſſe uidetur, maximum illud malũ, quod omnium animis, præcipuè autem uulgarium hominum inſitum atq; innatum eſt, peruerſus nimirum ſui amor, qui Græcis compoſito nomine* φιλαυτία *dicitur:* Neque enim aliud

quicquam eſt, quod maiorem conciliandi & indiſſolu bili nexu coniungendi, amore uim obtineat, ut non immeritò in Platonis ſympoſio μέγας δαίμων, id eſt, magnum numen à Diotima eſſe dicatur. Sed hic rurſum peruerſus ſuiipſius amor nõ aliunde manare uidetur, quàm quod natura bonorum & malorum, & genera non ſatis ſint percepta, neq; quæ per ſe ſunt, quæ propter aliud homini expetenda, cognitum ſit. Fons autem & origo eſſe omnis mali uidetur, quod hominum pars maxima neq; ſeipſos ſatis nouerint, tantum abeſt, ut quæ ſibi bona, aut mala ſint, dijudicare poſſint: ſed alij quidem corpus ſe eſſe, nec aliud quicquam maius, ſi minus dicant, at certè arbitrentur, adeò quoſdam, ueluti pecora, pronos & uentri obedientes cernas: alij uerò his erectiores paulò, non corpus quidem ſe, ſed totum illud, animam ſimul & corpus eſſe credant: quorum nec ipſorum una eſt ratio. Nam ex his alij corpori quidem plus tribuunt, animæ uerò minus, ut eam propemodum corporis mancipium habeant: alij uerò utrunq; cum altero exæquare conantur, atque hoc cum aſſequi nequeant (qua enim tandem id ratione poßint?) rurſum in corporis plus curam inclinant: tertij autem & his elegantiores, animi quidem potiorem curam habendam cenſent, ſed corpus interim, tanquam alteram noſtri partem, non eſſe negligendum. Qui uerò hominem animum eſſe & men-

tem,

tem, corpus autem animi uel inſtrumentum, quod elegantiores ſenſerunt philoſophi, uel uehiculum, ut Platonicorum nonnulli ſtatuerunt, uel domicilium & indumentum, quomodo id appellare gaudet Paulus (omnes enim hæ appellationes in eandem tendunt notionem, ut corpus nimirum animæ ſit gratia, ipſiq́; natura ſubijci debeat) uerè exiſtiment, pauciſsimi ſemper ſunt inuenti. Quare ſeipſos ignorãtes hominum pars maxima, nec bona ſua cognoſcentes, uitam hanc mortalem, quæ nobis cum belluis eſt communis, & corpus plus æquo & per ſe amantes, eiq́; uſq; addicti & affixi, timidi ignauiq́; redduntur, mortẽ tanquam malorum extremum formidantes, membrorum autem & corporis mutilationes ac læſiones intolerabile quid eſſe ducentes, nihilq́; non facientes ac dicentes, ut in hac uita quomodocunq; ſeruentur incolumes, & corpori, ut ipſi certè arbitrantur, benè conſulant, nulla honeſtatis habita ratione. Atque hæc quidem timiditatis ſunt opera. Comites autem eius, primum quidem mollitiam animi facit autor, quæ μαλακία Græcis dicitur, eſſeq́; definitur, ἀδυναμία τις τοῦ ἐμμένειν τε τοῖς πόνοις, καὶ ὑπομένειν τὰς λύπας ἕνεκα τοῦ καλοῦ. quod'eſt, Impotentia in laboribus perſeuerandi & dolores honeſtatis gratia perferendi. Cæterum à Theage ἡμιτελὴς κακία appellatur, quemadmodum quæ huic contraria eſt καρτερία, ut & antè

eſt dictum, ἡμιτελὴς ἀρετή: quod qua ratione ab ipſo fiat, operæpretium duxi hic ſubijcere. Cum igitur in libro de uirtutibus quomodo continentia & tolerantia efficerentur docuiſſet, quod nimirum ratione in iram & cupiditatem, ſed cum difficultate & ui quadam dominante: itemq; incontinentia & mollitia animi, ratione uidelicet contrà uiolenter ab his ſubacta oppreſſaq;, deinde hæc ad uerbum ſubiungit, αἱ δὲ τοιαῦται διαθέσιες τᾶς ψυχᾶς, ἡμιτελέες μὲν ἀρεταὶ, ἡμιτελέες δὲ κακίαι τυγχάνοντι. ὁ μὲν γὰρ λογισμὸς, ὑγιαίνει· τὰ δ' ἄλογα μέρεα τᾶς ψυχᾶς, νοσεῖ. καὶ καθὸ μὲν ἄρχεται καὶ ἄγεται ὁ θυμὸς καὶ ἁ ἐπιθυμία ὑπὸ τῶ λόγον ἔχοντος μέρεος τᾶς ψυχᾶς, ἁ ἐγκράτεια καὶ ἁ καρτερία, ἀρεταὶ τυγχάνοντι· καθὸ δὲ μετὰ βίας, ἀλλ' οὐχ ἑκουσίως, ἡμιτελέες, quæ ſunt. Cæterum huiuſmodi animi affectiones, inchoatæ tum uirtutes, tum uitioſitates ſunt. Nam mens quidem & ratio ſana eſt: rationis autem expertes animæ partes in morbo ſunt. Et quatenus quidem reguntur ac ducuntur à rationis compote animæ parte animus & cupiditas, continentia & tolerantia uirtutes ſunt. Quatenus autem cum difficultate & ui, inchoatæ & imperfectæ. Sed hæc plenius ſunt à nobis in Commentarijs in Cebetis tabulam explicata, quæ, cui ea, & alia his ſimilia nouiſſe cordi eſt, accedere poterit. Nos autem ad reliqua,

qua, quæ timiditatem ſequuntur, progreßi, quid effœminatio ſit conſideremus. Sed mihi, ſiue Græcam, ſiue Latinam uerbi interpretationem ſequaris, facilis & expedita huius uocis ratio explicatioq; uidetur. Ανανδρία enim, καὶ ἀνδρείας, quod nomen ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, id eſt, à uiro ductum eſt, priuationem quandam, aut certè imminutionem ac corruptionem ſonat. Effœminati autem Latinis dicuntur eneruati, & qui animum gerunt muliebrem, id eſt, parum fortem & uirilem, quem Fanius iuuenibus quibuſdam obijciens inquit,

Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem:
Illaq; uirgo uiri.

Verum utrunq; nomen, à diuerſis licet notionibus appellatum, re idem eſt, & in fortitudinis, ac uirilis animi & roboris ſpoliatione quadam conſiſtit: quam rectè timiditati tribui, nemo eſt qui neſciat, cum eius concauſa quædam ſit, Ariſtotele priuationem ad con cauſas quoq; referente. Απονία autem, id eſt, ignauia, ſi modo ſcriptura mendo uacat (eſt enim hic locus mihi ſuſpectus) affectio eſt τῇ φιλοπονίᾳ contraria, laborem fugiens ac reformidans, eaq;, quæ uult ac decernit ratio, exequi recuſans. Quæ quanquam ad timiditatem eadem, qua φιλοπονία ad fortitudinem, ratione pertinet, tamen ob certas quaſdam coniecturas in eam fermè animus inclinat ſentētiam,
ut

ut ἀπόνοια hic legendum exiſtimem tum alioqui, tum quod φιλοψυχία mox ipſi ſubijciatur. Cæterum huic uoci Græcæ, quantum quidem ad hunc locum pertinet, duæ apud Latinos, à non diſsimili notione ductæ, reſpondere uidentur, ſocordia nimirum, & uecordia. Si enim ἀπόνοια, ut à Græcis definitur, διάθεσις ἤτοι ἕξις ἐστὶν, ἡ χωρίζουσα τοῦ δέοντος καὶ ἀποστασίαν ποιοῦσα τοῦ νοῦ, quod eſt, affectio ſeu habitus ab eo, quod oportet, recedens, & à mente defectionem faciens: ſocordia autem à Latinis dicitur, ſeu potius, qui ab ipſo nomen habet, ſocors, quod ſine corde ſit: & uecors, quod parui uel, ut Sextus Pompeius Feſtus inquit, quod mali turbatiq́; ſit cordis, à quo non multum diuerſum eſſe, qui excors dicitur, exiſtimo, patet nimirum eandem uim & illam Græcam, & has Latinas uoces habere, maximeq́; ſecundum illos, qui aut cor ipſum animum, aut eius quod in animo principatum obtinet, ſedem eſſe uoluerunt. Sed latè adhuc Græcæ uocis definitio patet. Nam qui ab eo, quod oportet recedit, & à mente defectionem facit, aut ad id, quod nimium eſt, excurrit: unde fit, ut & ὑπερηφανίαν & θρασύτητα interdum ſignificet ἀπόνοια, ad hæc autem &, quæ hæc ferè comitari ſolet, ὕβριν: aut ad id, quod parum eſt, deficit: ex quo rurſus ἀντὶ τῆς ἀπογνώσεως ac confuſa & perturbata mente, cõſilij inopia, ſolicitudine, deſperanteq́; animo non

 mo non

mo non raro accipitur: nonnunquam autem & pro inertia, langore ac deſidia, quæ omnia ad defectionem pertinent, nec malè ad timiditatem referantur. Cæterum earum, quæ defectionis ſunt, huius nominis ſignificationum, prioribus quidem illis, τῇ ἀπογνώσ{ει} dico, confuſæ ac perturbatæ menti, conſilij inopiæ, ſolicitudini, deſperantiq; animo, ſi quid ego iudico, uecordia ſatis reſpondet: poſterioribus autem, inertiæ, languori, deſidiæ, ſocordia. Sed uidendum eſt, quomodo horum ſingula ad timiditatem referantur. Neq; enim eadem ratione omnia, ſed alia, ut arbitror, alia. Nam ἀπόγνωσις, confuſa ac perturbata mens & conſilij inopia, tũ timiditatis cauſæ eſſe poſſunt, tum ex eadem prouenire, ex quo illud Ennij,

Tũ pauor ſapientiã mihi oẽm ex animo expectorat.

Idem autem & de ſolicitudine deſperationeq; ſtatuendum. Nam & ex ſolicitudine deſperationeq; timiditas, & ex hac illa oriri poſſunt. Inertia uerò, languor & deſidia, ad quæ & ignauia, laboris nimirum fuga pertinet, inter ea numerari debẽt, quæ Græcis ὤρ ὄυκ ἀνδῶ appellari diximus. Φιλοψυχία autem, cuiuſmodi ſit affectio, cum ex uoce, tum ex iis, quæ ſuperius à nobis ſunt dicta, ſatis perſpicuum arbitror. Sequitur autem hæc illam, cuius antè mentionem feci, à mente defectionem, quod ferè fieri ſoleat, ut, qui ab hac deficit, φιλόσοφος eſſe deſinat, & φιλόψυχος ac

φιλοσώ-

φιλοσώματος reddatur, eaq́; omnia, ut in Phædone
uult Socrates, quæ ad uitæ & corporis curam ac ſtu-
dium pertinent, φιλοχρήματος, φιλότιμος: ad-
de etiam φιλήδονος. Quod ſequitur, Subeſt au-
tem uerecundia quædam, & animus à contentione
alienus, id uel ſic intelligi poteſt, ut ſint εὐλάβεια &
ἀφιλονεικία, duæ quaſi timoris ſpecies: uel, ut has
duas laudabiles affectiones, timor imitari ac præ ſe
ferre quodammodo uideatur. Vtraq; autem hæc ex-
poſitio ratione carere nō uidetur. Nam, quod ad prio-
rem quidem attinet, cum libro de legibus primo Pla-
to, qui ſub Athenienſis hoſpitis nomine ſeipſum ibi
ſignificat, duas metus ſpecies faciat, in quibus inquit,
καί μοι λέγε, δύο φόβω μὲν εἴδη σχεδὸν ἐναντία δυ-
νάμεθα κατανοῆσαι; κλ. ποῖα δή; Αθ. τὰ τοιά-
δε. φοβούμεθα μέν που τὰ κακὰ προσδοκῶντες
γενήσεσθαι. κλ. ναί. Αθ. φοβούμεθα δέ γε πολ-
λάκις δόξαν, ἡγούμενοι δοξάζεσθαι κακοί, πράττον-
τες ἢ λέγοντές τι τῶν μὴ καλῶν, ὃν δὴ καὶ κα-
λοῦμεν τὸν φόβον ἡμεῖς γε, οἶμαι δὲ καὶ πάντες
αἰσχύνην. *quæ ſunt, Ac mihi dicito. Duas metus ſpe-*
cies contrarias fermè poſſumus'ne animaduertere?
Cl. Quaſnam tandem? Ath. Has inquam. Metui-
mus quidem profectò mala, cum ea futura expecta-
mus. Cl. Sic eſt. Ath. Sed & opinionem & exiſti-
mationem metuimus, ueriti ne ſi quid, quod minus ſit
honeſtum,

honeſtum, faciamus aut dicamus, mali exiſtimemur: quem ſanè metum, nos quidem certè appellamus, arbitror autem & omnes, pudorem: cum igitur duas metus, qui πάθος eſt, ſpecies, ut dictum eſt, faciat, par omnino eſſe uidetur, ut ſub timiditate, qui habitus eſt, duos conſimili ratione habitus ſubijciat, quorum alter generis nomine homonymè timiditas appelletur, alter uerò εὐλάβεια Græcè, uerecundia Latinè, quam ſuperius odij offenſionisq́; factam cum ratione declinationem, definiuimus. Poſſet autem & ſic non incommodè deſcribi, ut habitus animi eſſe dicatur dedecus fugiens laudemq́; maximè cõſequens. Verum hoc quidem ſi recipimus, timiditatem, quæ ut genus dicitur, neque bonum neq; malum habitum ſtatuere oportet, ſed neutrum ac medium quodammodo: non quo genere Stoici media, quæ & indifferentia uocant, introduxerunt: ſed potius, ut commune quoddam ac uniuerſale, quod oppoſitis diuidatur differentijs. Quod ſi durius conquiſitiusq́; eſſe uideatur, maximè uerò cum δειλία, id eſt, timiditas pro uitio nunc ab autore uſurpetur, poſteriorem ſequuti explicationem, id quod Cicero in Partitionibus inquit oratorijs, Timorem uerecundiam imitari dicemus, ut τὸ, ὕπεστι δέ τις εὐλάβεια, τῇ δειλίᾳ nimirum, perinde accipiamus, ac ſi dixiſſet, ὑπόληψίν τινα περὶ ἔχει ἡ δειλία περὶ εὐλαβείας, id eſt, opinionem quan-

dam uerecundiæ affert timiditas. Atque hæc adeò expoſitio in alterum quoq; illud, καὶ τὸ ἀφιλόνεικον τὸ ἦθος, id eſt, animus à contentione alienus, magis conuenit, quod quomodo ſpeciem timiditatis facias, non facile inueneris.

ΑΚΟΛΑΣΙΑΣ.

Ἀκολασίας δέ ἐστι, τὸ αἱρεῖσθαι τὰς ἀπολαύσεις τῶν ἡδονῶν τῶν βλαβερῶν καὶ αἰσχρῶν· καὶ τὸ ὑπολαμβάνειν εὐδαιμονεῖν μάλιστα τοὺς ἐν ταῖς τοιαύταις ἡδοναῖς ὄντας· καὶ τὸ φιλογέλοιον εἶναι, καὶ φιλοσκώπτην, καὶ φιλευτράπελον· καὶ τὸ ῥαδιουργὸν εἶναι ἐν τοῖς λόγοις, καὶ ἐν τοῖς ἔργοις. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ ἀκολασίᾳ, ἀταξία, ἀναίδεια, ἀκοσμία, ἀμέλεια, ὀλιγωρία, ἐκλύσις.

QVAE INTEMPERANTIAE.

Intemperantiæ uerò eſt, nocuarum & turpium uoluptatum illecebras ſequi: beatos maximè eos exiſtimare, qui huiuſmodi uoluptatibus affluunt; ridiculorum, dicacita-

tis, facetiaum nimium eſſe amantem: in dictis factisq; negligentem ac diſſolutum eſſe. Subſequitur autem intemperantiam, immodeſtia, impudentia, inconcinnitas, incuria, negligentia, remiſſio animi & diſſolutio.

De ἀκολασίας uoce, quam uim ac poteſtatem habeat, dictum eſt prius: & quod expletũ perfectumq́ ſit uitium, ratione in eo penitus ſuccumbente, & tanquam mancipium, affectum dominum ſequente. Nunc autem, quæ ad ipſum ab autore referantur conſiderémus. Primum igitur, quod intemperantiæ eſſe inquit, Nocuarum & turpium uoluptatum illecebras ſequi, id præcipuum huius uitioſitatis opus eſſe, & in quo potiſſimum cernatur, ex ijs, quæ in definitionis explicatione ſunt dicta, perſpicuum arbitror. Nocuas autem & turpes uoluptates hic appellat, quas ſuperius prauas dixerat, quod & infamiam ijs, qui his dediti ſunt, concilient, & non ſolum per has effundantur atque conſumantur omnia bona, ſed etiam corpus indignis accipiatur modis, tum mille morborum generibus excarnificatum, tum præcipuè artuum & pedum doloribus, qui intemperantibus maximè ſunt morbi

familiares, ut elegãter incerti cuiuſdam autoris epigramma illud Græcum ſignificat,

Λυσιμελοῦς βάκχου, καὶ λυσιμελοῦς ἀφροδίτης,
γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα.

Ad hæc autem, quod longè eſt grauius, & animi robur eneruetur, mentis & rationis uis debilitetur ac pereat, &, ut ſemel dicam, totus homo peſſimè & miſerrimè efficiatur, ut uita ipſi talis, ſiquidem illam deprauationem & fœditatem turpificati animi ſatis intelligeret, & corporis incommoda ſentiret, minimè expetenda uideretur. Nunc autem uoluptatum illecebris, tanquam præſtigijs quibuſdam faſcinati intemperantes, immo potius excæcati ac ſenſibus penitus orbati, non ſolum ipſi nocuarum & turpium harum uoluptatum delectationes expetunt, ſed etiam, quod ſecundo loco intemperantiæ tribuit autor, qui his affluunt, uitamq; maximè uoluptariam uiuunt, eos ſummè beatos exiſtimant: quod meritò ipſis ex mala uitæ conſuetudine accidit. Nam cum pecudum ſibi uitam delegerint, eamq; ſolam naturæ conciliationem ſentiant, quam infimæ & abiectiſſimæ in nobis animæ partis, quam & cum belluis communem accepimus, occaſione, ad uoluptatem habemus, quid aliud quæſo interrogati, quæ ſit ſumma boni, reſpondeant, quàm Perſianum illud,

Vncta uixiſſe patella

Semper,

Semper, & aſsiduo curata cuticula ſole.

Sed qui uoluptatem, uitamq́; uoluptariam bonorum ſibi extremum ſtatuerunt, &, quod ſic humi ſtratis, & ad paſtum abiectis neceſſario accidit, Epicureo*rum id ſibi perſuaſerunt,* ὅτι

πάντα γέλως, καὶ πάντα κόνις, καὶ πάντα τὸ μηδέν.
πάντα γὰρ ἐξ ἀλόγων ἐστὶ τὰ γιγνόμενα.

hos & φιλογελοίους*, id eſt, ridiculis & riſui deditos eſſe oportet, & inſulſis ſalibus, dicacitate, iocularibus iocis, & inſacetis facetijs immoderatè gaudere ac delectari, cuiuſmodi apud* Homerum *ſponſi illi* Pe*nelopes deſcribuntur.* Et *cum his ſerij nihil ſit cordi, neque animum ad honeſta & utilia intentum habeant, in dictis factisq́; omnibus negligentes fiunt ac diſſoluti: ſic enim hoc loco,* τὸ ῥᾳδιουργὸν εἶναι*, interpretandum exiſtimo, cum, ut annotat* Suidas, ῥᾳδιουργία *inter cætera,* τὴν περὶ πᾶν ὀλιγωρίαν *etiam ſignificet, uocis compoſitione huic ſignificationi quodammodo adſtipulante.* Nam ῥᾳδιουργεῖν, ἀπὸ τοῦ ῥᾳδίως, τοῦτ᾽ ἐστι, ἄνευ πόνου καὶ καμάτων καὶ σπουδῆς, *&* ἐργάζεσθαι *compoſita uox eſt.* Itaq; *nec rem familiarem rectè tractant, nec publica legitimè abeunt, nec ſermone ac ratione decenter utuntur, omnia temerè & nulla ratione facientes ac dicentes.* Subſe*quitur autem, inquit autor, intemperantiam immodeſtia, impudentia, inconcinnitas, incuria, negligentia,*

remiſſio animi & diſſolutio, quorum ſingula quid ſint, quaq; ratione huc referantur, conſideremus ab immodeſtiæ facto initio. Eſt autem hæc ἀταξία Græcè, quæ perturbationem rationis atq; ordinis propriè ſignificat. Sed quoniam ſuperius Ciceronem imitati εὐταξίαν modeſtiam uertimus, uiſum fuit non incommodum, & ἀταξίαν hic immodeſtiam interpretari. Cæterum hæc, quantum quidem ad hunc pertinet locum, animi quædam eſt affectio, qua præpoſterè, perturbato nimirum naturæ ordine, ac parendi imperandiq; uiribus confuſis, libido & uenter, quæq; inferiora ſunt & deteriora, in rationem ac mentem, & ſuperiora præſtantioraq; dominantur, cum contrà potius fieri oporteat, ut Palladæ hoc tetraſticho oſtenditur.

Νηδὺν ἀναίσχυντον στιβαροῖς ἤχυνα λογισμοῖς,
  Σωφροσύνῃ κολάσας ἔντερον ἀργαλέον.
Εἰ γὰρ ἔχω τι νοοῦν κείμενον ὑψόθι γαστρός,
  Πῶς μὴ νικήσω τὴν ὑποτασσομένην.

Quod ego quidem cum omnium in animis inſculptum eſſe optarim, tum maximè eorum, qui Euangelij nomine falſò ſe iactant, cum uita tamen illorum & mores ab hoc plurimum diſcrepent. Sic enim profectò & minus hodie turbarum eſſet, ſuum rectè officiũ quolibet obeunte, nec à uentre & libidine impedito, & ad ueritatis inuentionem dogmatumq; controuerſa-

[illegible]nciliationem facilius perueniretur. Nunc au-
tem cum horum plurimi, tanquam abdomini nati eſ-
ſent, uentris & gulæ ſint mancipia, non uitam ſuam
& mores ad ſcripturam explorant & corrigunt, atq;
ad ipſius arbitrium & nutum totos ſe, ut par erat,
fingunt & accõmodant: ſed contrà potius ſcripturam
ad ſua inflectentes uitia, portentoſa nobis commini-
ſcuntur & architectantur decreta, nihil in hominis po
teſtate relinquentes, ſed ipſum libera ſpoliantes uo-
luntate, ac beſtijs tam diuino ſemine ortum æquantes,
nonnunquam & infra has abijcientes: Deum *etiam*
malorum cauſam aſſerentes: imaginariam quandam
& in reputatione tantum poſitam iuſtificationem in-
troducentes: Chriſtum *corruptæ noſtræ in* Adamo *na-*
turæ non inſtauratorem, non animi medicum, quem
ſe certè profitetur, ſed uitiorum noſtrorum patro-
num, dicam grauius, & aſſentatorem, qui non uitio-
ſitatem ex animo tollat, ſed prauo blandiatur habi-
tui, facientes: reliquaq; his finitima & cohærentia
ſancientes, quorum ſumma huc omnis tendit, ut anti-
quatis ijs, quæ ad edomandam carnem ſalutariter ab
Eccleſia *ſunt inſtituta, & reiecta uitæ & morum,*
quam & gẽtiles philoſophi naturæ inſtinctu ſibi ex-
colendam, & quidem ſeuerius, cenſuerunt, diſciplina,
chriſtianum quendam Epicureiſmum *nobis inuehãt:*
quod non de omnibus dictũ intelligi uelim (ſcio enim

non paucos minimè malos animi quadam ſimpl[illegible]tate, ac ueri rectiq; cognoſcendi & exequendi, quamuis præpoſtero ſtudio, à uero rectoq; aberrare, quorum me certè miſeret) ſed de quibuſdam mihi propius notis, qui adumbratam quandam religionis & pietatis imaginem ubiq; prætendentes, ſapientiſſimi illius Archilochi uulpeculam retro atq; à tergo fraudulentam ac uerſutam trahunt. Sed his dimiſſis ad illa redeamus, unde diuertimus, & explicata iam immodeſtia, ad impudentiam progrediamur, quæ uitioſa eſt affectio, pudori, quem infamiæ metum eſſe ſuperius diximus, contraria. Ex *quo quid & ipſa ſit haud obſcurum, quod nimirum inuerecundus animi affectus, quo fiat, ut nec infamiam quis extimeſcat, nec ea quicquam commoueatur, quos & duri oris, & perfrictæ frontis homines uocamus.* Quem *ſanè affectum, tanquam omnium animi morborum grauiſſimum,* Iaſoni *obijcit* Medea, *his uerbis,*

Οὔτοι θράσος τόδ' ἐστὶν, οὐδ' εὐτολμία,
φίλους κακῶς δράσαντ' ἐναντίον βλέπειν.
Ἀλλ' ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων
πασῶν, ἀναίδεια.

Ἀκοσμία *autem, quam inconcinnitatem uertimus, cum animi quædam ſit deformitas, non malè ex* Platonis *in ſophiſta autoritate, in animi motuum quadam immoderatione, &, ut ſic dixerim, exorbitatione, po-*

ſuerimus:

ſuerimus: ad quam & corporis motus geſtuſq; conſimiles, uictumq; & ueſtitum parum compoſitum, decentem ac frugalem neceſſario ſequi, rationi eſt conſentaneum. Cæterum apud Stobæum hoc loco adduntur τρυφὴ & ῥαθυμία: quarum illa quid ſit, ſuperius in iis, quæ ad magnanimitatem referuntur, explicandis eſt dictum: ῥαθυμία autem, id eſt, ſocordia, ἔκλυσίς τις ἐστὶ τοῦ τόνου τῆς ψυχῆς, καθ' ἣν οὔτε ἐμμένει, οἷς ἂν ὁ λογισμὸς κελεύσῃ, οὔτε ἀήττητός ἐστι πρὸς πόνον, quod eſt, diſſolutio quædam animi roboris eſt, qua fit, ut nec in iis perſeueret ac permaneat, quæ ratio iuſſerit, nec à labore inuictum ſe præſtet: quæ etſi huc aliquo referri modo poteſt, commodius tamen ad timiditatem & ignauiam, animoſæ partis languor quidam cum ſit ac deſidia, referatur. Sequitur incuria & negligentia, quæ quid ſint cuiuis notum: quemadmodum & ἔκλυσις, quam cum πάρεσιν & χαύνωσιν interpretentur, non dubitaui remiſsionem animi & diſſolutionem ipſam uertere: quanquam uideo poſſe hanc uocem & pro animi ſimul ac corporis defectione languoreq; hic accipi: quæ & ipſa ſignificatio ad noſtram accommodari uerſionem poteſt.

ΑΚΡΑΣΙΑΣ.

Ἀκρασίας δέ ἐστι, τὸ κωλύοντος τοῦ λογισμοῦ

τὰς ἀπολαύσεις τῶν ἡδονῶν αἱρεῖσθαι· καὶ ὁ ὑπολαμβάνοντα κρεῖττον εἶναι μὴ μετάσχειν μὲν αὐτῶν, μετέχειν δὲ μηδὲν ἧττον· καὶ τὸ οἴεσθαι μὲν δεῖν πράττειν καὶ τὰ καλὰ, καὶ τὰ συμφέροντα, ἀφίστασθαι δὲ αὐτῶν διὰ τὰς ἡδονάς. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ ἀκρασίᾳ, μαλακία, καὶ μεταμέλεια, καὶ τὰ πλεῖστα τὰ αὐτὰ, ἃ καὶ τῇ ἀκολασίᾳ.

QVAE INCONTINENTIAE.

Incontinentiæ autem eſt, uetante ratione uoluptatis ſe illecebris dedere: cumq́; præſtantius quis eſſe exiſtimet uoluptate non capi, nihilominus tamen illi ſe dare: arbitrari honeſta quidem & utilia quæ ſunt, exequenda eſſe, ſed ab his tamen propter uoluptates deſciſcere. Comites autem incontinẽtiæ ſunt, mollitia animi, pœnitudo, plurimaq́; eadem, quæ & intemperantiam ſequuntur.

Quæ hic ad incontinentiam ab autore referuntur,

tur, eorum nonnulla, rectè ipſius definitione, quam ſuperius accuratiſsimè explicuimus, intellecta, huc pertinere cuiuis per ſe perſpicuum fuerit, ut in eo probando prolixiorem me eſſe minimè ſit opus. Nam qui incontinentiam eſſe nouerit, animæ partis, in qua cupiditas reſidet, uitium, quo fit ut rationis inopia & imbecillitate in prauarum uoluptatum fruitiones impellentem cupiditatem malè moderemur ac regamus, huiuſq; definitionis uim perceptam habuerit, is nullo negotio intelligere poterit, non ſolum huius uitij eſſe, uttante ratione uoluptatis ſe illecebris dedere (nam id expreſſe in definitione continetur) ſed etiam, quod proximo loco ſequitur, Cumq; præſtantius quis eſſe exiſtimet, uoluptate non capi, nihilominus tamen illi ſe dare; quod mihi præcedentis interpretatio quædam eſſe uidetur, aut certè eiuſmodi, quod nobis huius inchoati uitij naturam plenius aliquo modo ſpectandam det. Nam cum in hoc, ut antea ex Theage eſt traditum, ratio quidem aliquouſq; ualeat & ſana ſit, affectus autem in morbo, hoc ipſum docere uolens, incontinenti tribuit, quod præſtantius ac melius, id eſt, & honeſtius & utilius eſſe exiſtimet, uoluptate non capi; atque hactenus quidem ipſius rationis rectum ſit iudicium, & cognitionis æſtimatricis animæ partis uis incolumis ac ſalua: quanquã ea, quam tum ζωτικὴν, tum ὀρεκτικὴν eiuſdem partis facultatem

Græci nominant, ſana licet aliquo modo ſit & ipſa, parum tamen ad coërcendum reprimēdumq; affectum ſit ualida: quod inde adeò ipſi accidere uolunt, quod perfectam & numeris omnibus abſolutam cognitionem, quam ſcientiam appellant, non habeat, qua præſente non ſolum affectus facile ſubigitur opprimiturq;, ſed ne omnino quidem rationi, omnia in homine iam adminiſtranti & regenti reſiſtit ac repugnat: ſed inchoatam, imperfectam, opinabilem & quæ in diuerſum torqueri flectiq; queat: eoq; fieri ut ab affectu, qui in morbum iam incidit, ſuperetur, & contrà, quàm ratio faciendum iudicet, uoluptati ſe det: quod & incōtinenti accidere, noſter inquit autor. Cæterum propriè admodum & hic uocibus uti uidetur. Non enim aut εἰδότα *dicit, aut* ἐπιστάμενον, *ac ne* γινώσκοντα *quidem, nec omnino uoce aliqua, quæ certioris notitiæ cuiuſdam, & firmioris aſſenſionis atque approbationis opinionem afferat, hic utitur: ſed* ὑπολαμβάνοντα *inquit, quod uerbum cognitionem, quæ coniectura continetur & opinabilis eſt, ſignificat. Nam Grammatici* τὸ ὑπολαμβάνειν, δοξάζειν, δοκεῖν, ἡγεῖσθαι, οἴεσθαι, νομίζειν, στοχάζεσθαι, διωνίζεσθαι, συμβάλλειν, λογίζεσθαι, εἰκάζειν, ταυτοσήμαντα, *id eſt, eiuſdem ſignificationis omnia eſſe annotant:* ὑπόληψιν *autem,* παχυμερῆ γνῶσιν, καὶ δόξαν, καὶ εἰκασίαν, καὶ ὑπόνοιαν *inter-*

pretan-

pretantur. Quanquam non me præterit, ueterum nonnullos ὑπόληψιν, ἐπιστήμης, δόξης, & πίστεως genus feciſſe, quorum etſi opinionem in topicis alicubi pro exemplo adducit Ariſtoteles, & dialecticè ac probabiliter impugnat, mihi tamen ratione carere nõ uidetur. Nam cum ὑπὸ præpoſitio in compoſitione interdum quidem ſignificationem minuat, ut in ὑποφωνεῖν & ὑποτρέμειν, interdum uerò ὑστεροχρονίαν quandam innuat, ut in ὑποστρέφειν & ὑπονοστεῖν, nonnunquam autem & τὴν κάτω σχέσιν καὶ ὑποταγὴν ſignificet, quemadmodum nimirum in ὑπογράφειν & ὑποβάλλεσθαι, in una hac uoce τοῦ ὑπολαμβάνειν, omnia hæc concurrere uidemus. Vnde nunc minus quippiam quàm λαμβάνειν ſeu καταλαμβάνειν, quod à manibus ad mentem translatum, cognoſcere eſt, ſignificat, & ſic à noſtro hic autore eſt uſurpatum: nunc ab alia quadam metaphora ſermonem excipere, id eſt, aliquid ad id, quod prius dictum eſt, dicere ac reſpondere: quæ apud Platonem, & qui dialogicum hoc ſcribendi genus elegerunt, non raro occurrit ſignificatio: modò uerò ὑπόληψις τῇ προλήψει opponitur, ut in illo Epicuri ad Menœceum, οὐ γὰρ προλήψεις εἰσὶν, ἀλλ' ὑπολήψεις ψευδεῖς, αἱ τῶν πολλῶν ὑπὲρ θεῶν ἀποφάνσεις, quod eſt, ſi ad uerbum interpretere, Non enim præſumptiones ſunt, ſed ſubſumptiones, multitudinis de dijs enuntiata.

tiata. Hoc autem modo cum uſurpetur, quid ſignifi-cet, ut oſtendamus, prius quid ſit πρόληψις, quæ illi quaſi altera ex parte adhibetur, explicandum. Eſt igitur πρόληψις hac ratione accepta, non modo Epi curo, ſed etiam omnibus ferè philoſophis, inſita & quaſi conſignata in animis uniuerſalis rei cuiuſq; intelligentia & notio. Hæc cum certa ſit & euidens, nec ratiocinatione conciliata, & quod ipſi eſt ſubiectum, perſpicuum, quodq; approbationis non indigeat, ſit neceſſe eſt, quod cognoſcenda cognitionibus reſpondere oporteat. Sed hoc quidem ſi πρόληψις ſit, certè quæ huic opponitur ὑπόληψις & in eo uerſabitur, quod approbationis indigeat, & ad ipſam argumenti concluſione erit opus, cum, ut nomen indicat, cognitio quædam ſit ex priore ſeu ſuperiore notitia ducta ac ſumpta. Sed quoniam omnis argumenti concluſio, id eſt, ratio quæ ex rebus perceptis, ad id, quod non percipiebatur, adducit, aut demonſtratiua eſt & ſcientifica, aut dialectica & probabilis, aut ad perſuadendum accommodata & rhetorica, non immeritò, quæ ex hac oritur ὑπόληψις ſecundum ipſius hanc diuiſionem tripartito etiam ſecabitur, in ſcientiam, opinionem & fidem, idq; nimirum eſt, quod ueteres illi uolebant. Verùm hæc quanquam propriè ad noſtrum inſtitutum nõ faciunt, quia tamen ad alia quædam non contemnendum uſum habent, uiſum

fuit

fuit non incommodum & ea hic breuiter explicare. Nunc autem ad id, unde digreſsi ſumus, reuocetur oratio. Appoſita igitur admodum in ſecundo, quod incontinentiæ tribuit autor, τῷ ὑπολαμβάνειν uoce eſt uſus, quæ, ut dictũ eſt, non firmam cognitionem et aſſenſum, ſed coniecturalem & opinabilem ſignificaret. Conſimilem autem uim & in tertio, quod ad uitiũ hoc refertur, τὸ οἴεσθαι, id eſt, arbitrari, habet, quod eſt illi τοῦ ὑπολαμβάνειν, ut ſuperius uidimus, ſynonymum. Nam cum inquit, Arbitrari honeſta quidem & utilia quæ ſunt, exequenda eſſe, ſed ab his tamen propter uoluptates deſciſcere, rationem hactenus ſanam eſſe oſtendit, quod honeſta & utilia (ſunt autem hæc eadem, neque quicquam utile ſtatuendum, quod non ſit idem & honeſtum, ut libro ſecundo de legibus docet Plato) exequenda iudicet: ſed quia non uſquequaq; firmè hæc ipſi ſtat ſententia, ut quæ opinione, non ſcientia nitatur, de hac quidem deturbari ac deijci ſe patitur: ab affectu autem morboſo, deprauataq; cupiditate uinci & expugnari. Differt autem hoc incontinentiæ ſeu opus, ſeu operatio, aut ſi mauis, paſsio, ſeu affectio (nam omnibus his nominibus, ſed diuerſa tamen ratione, ut libro ſecundo commentariorum in Cebetis tabulam docuimus, hæc appellari poſſunt) à priore illo, quod in præcedente cupiditatem immoderatius ad amplectendam uoluptatem, ad

quam

quam conciliationem naturalem obtinet, propendentem, ac uelati deorſum uergentem, ratio ob quas dictum eſt cauſas refrenare & coërcere nequeat, nec ſuperiores obtinere partes: in hoc autem rationem quaſi ſurſum uerſus ad honeſta, quæ ipſius naturæ maximè ſunt congruentia & cognata, tendentem, eoq́; & affectum attrahere & extollere conantem, uitioſæ cupiditatis tanquam pondere prægrauatam deficere ac uiribus quodammodo deſtitui accidat: quæ inter ſe diſtare & diuerſa eſſe, perſpicuum eſt, uideturq́; adeò poſterius hoc mollitieī potius cuiuſdā eſſe: prius autem illud incontinentiæ proprium. Dico autem mollitieī cuiuſdam, non mollitiēi ſimpliciter, quod abſolutè dicta mollitia, in laboribus, moleſtijs ac doloribus non ferendis cernatur: hæc autem affectio ex uoluptatibus interpellantibus impedimentumq́; rationi inferentibus ortum potius habeat. Poſt hæc quæ ſequuntur, & incontinentiæ comites ab autore ſtatuuntur, ex ijs mollitia animi quid ſit, ſuperius eſt dictum, ubi nimirum quæ timiditatem ſequuntur explicuimus: quomodo autem ad hanc uitioſitatem reducatur, non obſcurum, nō modo ob ea, quæ proximè diximus, ſed etiam quod eiuſdem habitus quodammodo eſſe uideatur, uoluptates expetere & aſciſcere, & labores doloresq́; fugere ac declinare. Μεταμέλειαμ *autem, ut ſymptoma quoddam incontinentiam ſequi, Ariſtote-*

Ariſtoteles quidem breuiter ſuo more, libro Moralium ad Nicomachum ſeptimo, perſtrinxit, immo attigit potius, ubi inquit, Ἔστι δ' ὁ ἀκόλαστος, ὥσπερ ἐλέχθη, οὐ μεταμελητικός, ἐμμένει γὰρ τῇ προαιρέσει. ὁ δ' ἀκρατὴς, μεταμελητικὸς πᾶς. *id eſt, Eſt autem intemperans, ut dictum eſt, eiuſmodi ut eum facti ſui non pœniteat: Permanet enim in ſua ſententia. Incontinentem uerò, quodammodo pœnitet. Andronicus autem ipſius paraphraſtes, eum enarrans locum, non ſolum longius aliquamo & apertius id perſecutus eſt, ſed cauſam inſuper huius ipſius ſymptomatis aperuit, cum inquit.* Πᾶς δὲ ἀκρατὴς καὶ μεταμελητικός ἐστι, κάθως εἴρηται. τῆς γοῦν ἐπιθυμίας σβεσθείσης, ὁ λόγος ὑγιαίνων συνορᾷ τὴν ἀτοπίαν τοῦ πάθους· ᾧ ἕπεται μετάνοια. ὁ δὲ ἀκόλαστος, ἀμεταμέλητος. ὁ γὰρ λόγος αὐτῷ οὐχ ὑγιαίνει, καὶ διὰ τοῦτο καθιδεῖν τὸ αἰσχρὸν οὐ δύναται: *quæ ſunt, Cæterum omnis incontinens pœnitudine ducitur, ut dictum eſt. Nam reſtincta cupiditate, ratio quæ ſana eſt, perturbationis deformitatem prauitatemq́; conſpicit: cui pœnitentia comitatur. Intemperantem autem ſui facti non pœnitet. Ratio enim ipſi ſana non eſt: eoq́; uitioſitatis turpitudinem perſpicere nequit. Ex quibus id, quod & antea eſt dictum, perſpicuum eſt, in incontinente mentem quidem ac rationem incolumem eſſe & ſaluam, ſed*

M pertur-

perturbatione ipſam non ſecus ac nebulis quibuſdam obſcurari, aut, ut commodius rem explicem, perinde affici, atque ij, qui graui ebrietate & crapula obruti ſunt & oppreſſi. Quemadmodum igitur illi, cum crapulam edormierint, & ebrietatis quaſi caliginem diſcuſſerint, ſobrij redditi, & ad ſe redeuntes, quæ per ebrietatem fecerunt intelligentes, diſplicere ſibi incipiunt, ſic & ratio uoluptatum ardore reſtincto, perturbationis fœditatem animaduertens & perſpiciens, pœnitentia ducitur, quam μεταμέλειαν hoc loco nominat autor, quæ apud Græcos eſſe definitur, Δυσαρέστησίς τις, ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις, quod eſt, diſplicentia quædam ſeu offenſio ex factis concepta. Et incontinentiæ quidem pœnitentia hac ratione ſymptoma fuerit. Quod uerò poſtremo loco ponitur, pluriması eadem, quæ & intemperantiam ſequuntur, id ita intelligendum, quod, cum neque penitus eædem, neque penitus diuerſæ ſint animi affectiones intemperantia & incontinentia (ſunt enim ambæ cupidineæ animæ partis perturbationes ac motus à recta ratione auerſi, & in expetendis uoluptatibus cernuntur, atque hactenus quidem eædem; quatenus uerò in hac principium, quæ eſt ratio, ſanum eſt, in illa ægrotat ac uitioſum habetur, & in hac rurſum cum affectu pugnat ratio, in illa uerò ambæ conſentiunt & ad turpitudinem exercendam conſpirant, diuerſæ) hæc

eadem,

eadem, & quidem plurima, quæ ipſas conſequuntur, habeant, ut immodeſtiam, ſeu rationis ac ordinis perturbationem, inconcinnitatem, incuriam: nonnulla etiam diuerſa, ut impudentiam, remiſsionem animi & diſſolutionem. Atq; hæc quidem ſunt, quæ ad ea pertinent uitia, quæ animæ ſunt partium. Quibus explicatis, reliquum eſt, ut et ea conſideremus, quæ ad totius animi perturbationes referuntur, ab iniuſtitia facto initio, de qua ſic autor.

ΑΔΙΚΙΑΣ.

Ἀδικίας δέ ἐστιν εἴδη τρία· ἀσέβεια, πλεονεξία, ὕβρις. ἀσέβεια μὲν, ἡ περὶ θεοὺς πλημμέλεια, καὶ περὶ δαίμονας, καὶ περὶ τοὺς κατοιχομένους, καὶ περὶ γονεῖς, καὶ περὶ πατρίδα. πλεονεξία δὲ, ἡ περὶ τὰ συμβόλαια παρὰ τὴν ἀξίαν αἱρουμένη τὸ διάφορον. ὕβρις δὲ, καθ' ἣν τὰς ἡδονὰς ἑαυτοῖς κατασκευάζουσιν, εἰς ὄνειδος ἀγαγόντες ἑτέρους· ὅθεν καὶ Εὔηνος περὶ αὐτῆς λέγει·

ἥτις κερδαίνουσ' οὐδὲν, ὅμως ἀδικεῖ.

ἔστι δὲ τῆς ἀδικίας, τὸ παραβαίνειν τὰ πάτρια ἔθη, καὶ τὰ νόμιμα· τὸ ἀπειθεῖν τοῖς νόμοις καὶ τοῖς ἄρχουσι· τὸ ψεύδεσθαι· τὸ ἐπιορκεῖν· τὸ παραβαίνειν τὰς ὁμολογίας, καὶ τὰς πίστεις. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ ἀδι-

κία, συκοφαντία, ἀλαζονεία, φιλανθρωπία προ-
σποίητος, κακοήθεια, πανουργία.

QVAE INIVSTITIAE.

Iniuſtitiæ uerò tres ſunt ſpecies: impietas, auaritia, petulantia. Impietas quidem, quæ in deos eſt delictum, & dæmones, & eos qui mortem obierunt, & parentes, & patriã. Auaritia uerò, quæ in commercijs præter dignitatem ac meritum potiora expetit & aſſumit. Petulantia autem, qua uoluptates nobis comparamus, alijs probrum inferentes, unde Euenus de ipſa inquit,

Nil lucri faciẽs, quæ tñ uſq; nocet. Cæterum iniuſtitiæ eſt, patrias conſuetudines, & inſtituta tranſgredi: legum & migiſtratus obedientiam relinquere & abijcere: mentiri: peierare: pactis conuentiſq; non ſtare,

nec in fide manere. Conſequitur autem iniuſtitiam calumniatio, arrogantia, ficta & ſimulata humanitas, peruerſitas, calliditas.

Vt ſuperius in iracundia fecit, ita & hoc loco ab iniuſtitiæ ſpeciebus, eorum, quæ ad hanc uitioſitatem pertinent, tractationem aggreditur. Facit autem eius ſpecies tres. Et primam quidem ἀσέβειαν, id eſt, impietatem nominat, quam πλημμέλειαν, (ſic enim Stobæus legit, quod mihi ſanè non diſplicet) id eſt, delictum, in deos, dæmones, eos qui mortem obierunt, parentes & patriam eſſe dicit. Conſiſtit autem ea, quæ eſt in deos, ſeu Deum potius, ut ad noſtram religionem appoſitè loquamur, impietas & delictum, generatim quidem in duobus: quorum alterum ad opinionis de ipſo uanitatem & falſitatem: alterum ad uenerationis & cultus tum neglectionem, tum contemptionem, ad hæc autem & deprauationem pertinet. Prius genus in tres diuiditur differentias, quas non ſolum apud Platonem libro de legibus decimo eſt inuenire, ſed etiam in ſacris literis, eorumq́; ſcriptis qui ex illis philoſophati ſunt ueteres Eccleſiæ doctores. Aut enim qui impij ſunt, omnino Deum non eſſe arbitrantur: aut cum ipſum eſſe ſtatuant, eius tamen prouidentia mundum, quæq́; in ipſo ſunt omnia, ad-

miniſtrari ac regi non putant: aut ut hoc etiam fateantur, ſed tamen quod omnia præſens intueatur, quod iuſtè humana iudicet ac iudicaturus ſit, rectè quidem factis conuenientia tribuens præmia, maleficia autem & peccata pro delicti cuiusq; atrocitate ac magnitudine puniens, id uerò totum fictam & commentitiam fabulam eſſe exiſtimant. Cæterum ex tribus his differentijs, ad primam quidem, quæ Græcè ἀθεότης peculiariter appellatur, etiam multiplicis illius uarijq; erroris à Græcis & gentilibus introducta πολυθεία, non incommodè referatur, quod eiuſdem dementiæ eſſe uideatur, & nullum cenſere Deúm, & deorum multitudinem conſtituere. Nam ſi nec in rep. nec in exercitu gubernatorum imperatorumq; multitudinem probamus, ſed ut perturbationis ac magnæ confuſionis cauſam, ipſam repudiamus, unde apud Homerum Vlyſſes,

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔσω, εἷς βασιλεύς.

quomodo ipſius uniuerſi, in quo ſumma ordinis eſt conſeruatio, tantam rectorum & dominorum facere turbam, non extremæ fuerit inſcitiæ, immo inſaniæ dixerim uerius? Ad ſecundam uerò uanæ & peruerſæ de Deo opinionis ſpeciem, eorum quoq; pertinet amentia, qui, ut inquit Ioannes Chryſoſtomus oratione de prouidentia & fato ſecunda, τῇ σοφίᾳ τοῦ τοῦ θεοῦ

θεοῦ προνοίας, τὴν ἐκ τῆς εἱμαρμένης ἀταξίαν καὶ ἀνάγκην ἐπιτειχίζουσιν, quæ cum τοῦ ἐπιτειχίζειν uocis occaſione, quæ & ἐποικοδομεῖν, id eſt, ſuperſtruere ſeu ſuperædificare, & κατά τινος τειχίζειν, quod eſt, interſepire, & alicui quaſi murum quendam obijcere, ſignificat, ambigua ſint: utraque autem ſententia huic rectè loco congruat, non commodè quidem in Latinũ ſermonem conuerti poſſunt: ſed fuſioris indigent explicationis. Inquit igitur Ioannes Chryſoſtomus malè de Deo ſentire ac loqui, qui prouidentiæ ipſius ſapientiæ uel uiam, fato introducendo, tanquam muro quodam obiecto, intercludunt, ne ad infima & humana uſq; extendi uideatur: cuiuſmodi ſunt, qui τῆς εἱμαρμένης ſolium & dominationem, immo tyrannidem potius, in inferioribus his & ſublunaribus, nonnulli etiam in ipſo uniuerſo, quorum fuerunt Heraclitus & Democritus, conſtituentes, eam δύναμιν ἀναγκαστικὴν, τὸ ἀναπόδραστον, καὶ τῆς ὕλης κινητικὴν eſſe definierunt: uel ex prouidentia & æternitate pendentium cauſarum ordinem ſeriemq; ſempiternam introducentes omnia neceſſitate fati deuinciunt, ac ſic prouidentiæ fatum quodammodo ſuperſtruunt, quales & olim Stoicorum nonnulli fuerunt, & nunc etiam non pauci inueniuntur, quorum errores abundè in commentarijs noſtris in Cebetis tabulam confutantur. Contra utroſq; enim

ex æquo ijs orationibus diſſerit Chryſoſtomus, ut diligentius legenti facilè eſt animaduertere. Tertij autem amentium opinatorum generis fuerint et ij, atque hîc adeò facilè anteſignani, qui Deum malorum cauſam facere ſuſtinent, quos quidem certè Baſilius ille uerè Magnus in homilia quadam, quam de hoc inſtituit argumento, cum ijs inſipientia exæquare non dubitat, qui nullum omnino putant Deum, cum inquit, Ἄφρων οὖν ὡς ἀληθῶς ἐστερημένος νοῦ καὶ φρονήσεως, ὁ λέγων ὅτι οὐκ ἔστι θεός. παραπλήσιος δὲ τούτῳ, καὶ οὐδὲν κατὰ τὴν ἀφροσύνην ἀπολειπόμενος, καὶ ὁ λέγων τῶν κακῶν αἴτιον εἶναι τὸν θεόν. ὁμότιμον γὰρ αὐτῶν εἶναι τίθεμαι τὴν ἁμαρτίαν, διότι ἑκάτεροι ὁμοίως ἀρνοῦνται τὸν ἀγαθόν· ὁ μὲν οὐκ εἶναι τὸ παράπαν λέγων· ὁ δὲ οὐκ ἀγαθὸν αὐτὸν εἶναι διοριζόμενος. εἰ γὰρ κακῶν αἴτιος, οὐκ ἀγαθὸς δηλονότι. ὥστε ἀμφοτέρωθεν ἐστὶν ἄρνησις τοῦ θεοῦ. quæ ſunt, Inſipiens igitur reuera mente ac prudentia priuatus eſt, qui dicit, Non eſt Deus. Huic autem aſſimilis eſt, & nihilo inſipientia inferior, qui Deum cauſam eſſe malorum aſſerit. Par enim & æquale ipſorum eſſe peccatum ſtatuo, quod uterq; ſimiliter bonum illum abneget: hic quidem eum penitus non eſſe affirmans: ille uerò non bonum ipſum eſſe decernens. Nam ſi malorum eſt cauſa, non bonus quidem certè. Cæterum quod rectè ad tertium

hunc ordinem & iſti reducantur, atq; ut dictum eſt, principatum hîc obtineant, inde facilè animaduerti poteſt, quod Deo omnem iuſtè iudicādi tanquam anſam præripiant, immo & iniuſtum neceſſariò, ne quid dicam grauius, ipſum faciant. Quomodo enim non iniuſtus fuerit, qui quorum ipſe eſt autor, horum in homines crimen deriuet, atq; culpam ipſos ſuſtinere pœnasq; perſoluere cogat? Atq; hæ quidem ſunt impietatis ſeu ſpecies, ſeu differentiæ, ſeu genera dicere mauis, quæ ad opinionis uanitatem prauitatemq; pertinent: quo etiam ea, docendi gratia, reducantur omnia, quodlibet ad quod maximè affectum eſſe & ſpectare uidebitur, quæ cū orthodoxa noſtra fide de Deo, quæq; ad Dei naturam pertinent, aliquo modo pugnant, quæ ſingulatim hoc loco exponere & longum, nec neceſſarium arbitror. Eſt autem de ijs à pleriſque ueteribus, ſed & ab Epiphanio Conſtantiæ Cypri Epiſcopo copioſè tractatum. Quæ uerò ad uenerationem & cultum ſpectant, tripartitò & ea diuidi ac diſtribui poſſunt. Nam qui hîc peccant, eorum alij nulla numinis reuerentia tenentur, ſed omnem religionem & Dei cultum cerimoniasq; proterunt & conculcant, idq; quod uel nullum putent numen, cuiuſmodi Lucianus facetus ille ſcurra fuiſſe uidetur: uel quod noſtra non curare arbitrentur, quorum de grege fuit Epicurus, ut ex his Lucretij patet,

Omnis enim per ſe diuûm natura neceſſe eſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur,
Semota à noſtris rebus, ſeiunctaq; longè.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Alij uerò religionem non contemnunt illi quidem, ſed indiligentia potius quadam ac negligentia hîc delinquunt: quorum nonnullis huius ipſius affectionis, ſocordia atq; deſidia eſt cauſa: alijs occupationes quædam, aut in ijs, quæ ad uitam uictumq; pertinent, quibusq; aliqua quæritur neceſſaria utilitas: aut quæ liberam habeãt animi oblectationem, quæ Græcis Διαγωγὴ *appellatur: aut omnino in aliquo genere, erga quod quilibet* φιλοτοιῦτος *dicitur. Sunt autem & præter hos tertij, qui nec diuini cultus contemptores ſunt, nec in hoc negligentes, ſed præpoſtero quodam religionis atq; peruerſo ſtudio in ſuperſtitionem penè anilem labuntur, ſibiq; ipſis portentoſas comminiſcuntur cerimonias religionesq;, ea etiam pro dijs colentes, quæ quod excellentioris naturæ non ſint, uenerationem iuſtam nullam habent, ut Aegyptij Ibim, canem, felem, & id genus animalia, aut etiam inanimata quædam, ut cepas, allium. Cuius quidem cauſa animi quædam imbecillitas eſt & timor inanis, ea metuentis ac renerentis non quæ dignitate aliqua antecellunt,*

lunt, quæq́; ipſi per ſe aut commodare aut incommodare poſſunt: ſed quæ propter hominem condita cum ſint, infra ipſum longè dignitate ſunt conſtituta, & ſolo uſu aut abuſu bona maláue ipſi fiunt. Pendet *autem rurſus hæc animi, quam dixi, imbecillitas ac metus ex* Dei *noſtriq́; ignoratione: quæ quomodo & unde hominibus accidat, operæpretium eſt, arbitror, ea audire, quæ ſunt apud* Plotinum Enneadis *quintæ libro primo. Sunt autem hæc. Quidnam in cauſa eſt, ut animæ, quæ diuinæ ſortis ſunt,* Deiq́; *omnino tamen* Dei *patris obliuiſcantur, ignorantes & ſeipſas & illum? Principium igitur mali eſt animis audacia, generatio, prima diuerſitas, & quia uolunt ſui iuris eſſe. Poſtquam enim libertate hac ſiue licentia delectari cœperunt, fretæ plurimum ſuo quodam ex ſeipſis mouendi munere, & iter contrarium ineuntes, factæq́; iam remotiſſimæ, iam ſeipſas illinc exortas eſſe prorſus ignorant, uelut pueri ſtatim nati, à parentibus ſegregati, proculq́; diutius educati, & ſe & parentes ignorant. Cum igitur neque patrem, neq; ſeipſas uideant, ſuiq́; generis ignorantia ſe paruipendant, honorantes alia, & quicquid occurrit magis quàm ſe admirantes atq; ſtupidè hinc & admirabundè pendentes, nimirum ſe iam longiſſimè proiecerunt diſiunxeruntq́; à patre atq; ſeipſis, dum ſcilicet ea, à quibus nimium auerſæ ſunt, paruifacerent. Quamobrem extrema*

trema diuinitatis inſcitia ex inferiorum honore ſuiq; ipſius contemptu animæ uidetur accidere. Simul enim proſequitur admiraturq; aliud, & interim confitetur ſe admirantem & proſequentem hoc ipſo deteriorem eſſe. Cum igitur deteriorem ſeipſam rebus naſcentibus occidentibuſq; exiſtimet, ideoq; abiectiſſimum quiddam maximeq; caducum omnium, quæ honorat, eſſe ſe putet, merito neq; Dei naturam neq; potentiam animo concipit. Hactenus Plotinus. Quibus uerbis ea, quam diximus, cauſa præclarè explicatur, & recondita quædam penituſq; abſtruſa philoſophiæ myſteria continentur, aliâs à nobis eruenda. Sed nunc his explicatis impietatis, quæ in Deum eſt, differentijs, ad reliquas eius progrediamur ſpecies, quas non eodem penitus ordine, quo ſuperius pietatis, exponit, ſed poſt eam quæ aduerſus dæmones eſt, quam illic ultimam fecerat, eam quæ eſt aduerſus eos, qui mortem obierunt, collocat: cui eam, quæ in parentes eſt ſubijcit, poſtremo illam, quæ in patriam eſt, loco reijciens. Quod quanquam, ut prius eſt dictum, in uitijs non admodum eſt curandum, nos tamen in explicandis his generibus, commoditate quadam ducti, ſuperiorem ſeruabimus ordinem. Sed mihi quidem quæ aduerſus dæmones eſt, per quos & angelos, & diuos ac ſanctos nos ut intelligamus ratio, ut ſuperius eſt traditum, poſtulat, tam opinionis, quàm cultus occa-

ſione

ſione in duobus potiſsimum conſiſtere uidetur impietas, eo, inquam, quod nimium eſt, & quod parum. Nam cum hi & infra Deum longè ordine & dignitate ſint collocati, quantum nimirum opus infra opificem, & creatura infra creatorem: & ſupra eos, qui in mortali hoc & caduco corpore adhuc ſunt, ut qui ex hoc quaſi carcere emiſsi & euocati liberè cum Chriſto nunc æuum agant & regnent: qui aut opinione, aut cultu hos cum Deo exæquet, impius fuerit: & rurſus qui non præclarius de ijs auguſtiusq́;, quàm hominibus mortalibus, quorum incertus adhuc & anceps eſt uitæ finis, quem ſpectari uult Solon, neque quenquam ante ſupremuum eius diem beatum prædicari, ſentiunt, nec maiori honore afficiendos, & ueneratione dignos exiſtimant, impietatis crimine non uacabunt: quorum in numero reponendi ſunt, qui non modo, iam uſq; ab heroïcis illis ac primitiuæ eccleſiæ temporibus ductam ſanctorum inuocationem, & tot ſæculorum ac gentium in uniuerſo Chriſtiano orbe firmatam conſenſu, abolere ſunt conati, ſed etiam ipſorum templa & delubra, ſanctiſsimis religionibus conſecrata, depeculari ſunt auſi, ſepulchraq́; ac reliquias conſceleratis & nefarijs manibus uiolare: atq; hæc cum faciant, pij etiam uideri uolunt, quæ altera mihi ipſorum eſſe impietas uidetur. Cæterum quod non noua res ſit, nec nuper adeò excogitata ſancto-

rum

rum ueneratio, inter cæteros ueteres theologos, qui ſunt ſanè & multi & magnæ autoritatis uiri, audi quid dicat Euſebius Euangelicæ præparationis libro decimo tertio, ubi, cum ex Platonis libro quinto de Repub. quædam adduxiſſet, quæ oſtenderent, quo loco in Republica haberi deberẽt, qui fortiter in bello pro patria occubuiſſent, quod nimirum primò quidem au rei illius generis eſſent cenſendi: deinde ex Heſiodi ſententia, poſt mortem eſſent habendi dæmones caſti, terreſtres, boni, depulſores malorum ac mortalium hominum cuſtodes: quodq́;, ut diuinum iubet oraculum, eximia quadam ueneratione ac honore in ſepulchro ſint reponendi & condendi, ac in poſterum, utpote qui dæmones iam facti ſint, eorum ſepulchra colenda & ueneranda: conſimiliq́; ratione ſtatuendum eſſe & de iis, qui aut ſenio, aut alio quopiam modo mortem obierunt, ex iis, qui eximia aliqua uirtute in uita conſpicui fuerunt, hæc ad uerbum ſubiicit. καὶ ταῦτα δὲ ἁρμόζει ἐπὶ τῇ τῶν θεοφιλῶν τελευτῇ, οὓς στρατιώτας τῆς ἀληθοῦς εὐσεβείας οὐκ ἂν ἁμάρτοις εἰπών, παραλαμβάνεσθαι· ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι, τιμᾶν τε τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχάς, ὡς εὐλόγως καὶ τούτων ὑφ' ἡμῶν γιγνομένων. *quæ ſunt,* Et *uerò hæc in eorũ, qui* Deo *ſunt chari morte, quos milites ueræ pietatis ſi nominaueris*

non pecces, uſurpari par eſt, unde & ad ſepulchra ipſorum accedere nobis mos eſt, ibiq; uota facere, & eorum beatas animas honore proſequi, ut quæ recta ratione à nobis fiant. Neque uerò multum ab his diſsimilia habet Theodoretus Cyri epiſcopus libro octauo de Græcarum affectionum curatione: qui libri quoniam Zenobio Acciaolo interprete omnium in manibus uerſantur, non neceſſarium eſſe duxi eius hîc uerba adſcribere, ſed ſatis eſſe ipſum indicaſſe locum. Et quantum quidem ad eam impietatem attinet, quæ aduerſus dæmones eſt, hæc in præſenti ſufficiant. Deinceps ad eam tranſeamus, quæ in patriâ eſt. Verum hæc ſuperius ſatis uidetur explicata in ijs, quæ ex Platonis Critone ad pietatis erga patriam explanationem ſunt adducta, ut ſuperuacaneum ſit ea nunc hîc repetere. Ad hæc & paulò pòſt præcipua eius capita ab ipſo exponentur autore; quibus, ſi quid fortè deſiderari adhuc uidebitur, id eo adijciemus loco. Quæ uerò eſt aduerſus parentes impietas, ut & pietas, ei admodum coniuncta eſt naturæ, quæ in patriam eſt, quod, ut in ſua inſtitutione, ſeu introductione dicere mauis, inquit Porphyrius, tum parentes tum patria ortus noſtri quoddam ſint principium, quod longè antè & à Platone eſt affirmatũ, ut quæ unius ſint differentiæ, eædem & alterius eſſe uideantur. Quare parentes propter inopiam, aut aliam quampiam calamitatem

tutem non agnoſcere uelle, ſed eorum nos pudere: itemq́; ipſis rectè monentibus non obtemperare, nec, ut par eſt, colere, ſed refragari & aduerſari: & cũ uerbis aut uerberibus durius nos exceperint, eis non cedere, ſed maledicta in ipſos regerere, aut etiam uim & manus ijs inferre audere: & in neceßitate conſtitutis non propenſißima uoluntate ſubuenire: & ætate feſſos ac defectos non benignè uicißim alere & fouere, ſed deſerere ac prodere, hæc, inquam omnia, & ſi quæ his ſunt finitima, impietatis aduerſus parentes eſſe ſtatuerim. Aduerſus eos autem, qui mortem obierunt, impietas in huiuſmodi ferè quibuſdam conſiſtit, ut mortuorum corpora inhumata proijcere, nec ſepultura dignari, aut etiam canibus aut auibus dilanianda relinquere: eorum funeribus iuſta non ſoluere: ſepulchra ſuffodere, aut alio quouis modo uiolare: & quæ id genus ſunt reliqua. Et in his quidem cernitur impietas. Auaritia uerò, quæ Græcis à plus habendo & obtinendo ac uſurpando πλεονεξία *nominatur, quid ſit hic utcunq́; ab autore definitur, cũ ipſam eſſe inquiat, quæ in commercijs præter dignitatẽ & meritum potiora expetit & aſſumit: latius tamen aliquantò libro Moralium ad Nicomachum quinto eius natura ab Ariſtotele explicatur, etiam eo, in quo uerſatur, adiecto, his uerbis.* ἐπεὶ γὰρ ὁ πλεονέκτης ὁ ἄδικος, περὶ τὰ ἀγαθὰ ἔσται οὐ πάντα, ἀλλὰ

περὶ

περὶ ὅσα εὐτυχία καὶ ἀτυχία· ἃ ἐστι μὲν ἁπλῶς αἰεὶ ἀγαθὰ, τινὶ δὲ οὐκ αἰεί. οἱ δ᾽ ἄνθρωποι ταῦτα εὔχονται καὶ διώκουσι. δεῖ δ᾽ οὔ· ἀλλ᾽ εὔχεσθαι μὲν τὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ, καὶ αὑτοῖς ἀγαθὰ εἶναι· αἱρεῖσθαι δὲ τὰ αὑτοῖς ἀγαθά. ὁ δ᾽ ἄδικος οὐκ αἰεὶ τὸ πλέον αἱρεῖται, ἀλλὰ καὶ τὸ ἔλαττον ἐπὶ τῶν ἁπλῶς κακῶν· ἀλλ᾽ ὅτι δοκεῖ καὶ τὸ μεῖον κακὸν ἀγαθόν πως εἶναι, τοῦ δ᾽ ἀγαθοῦ ἐστιν ἡ πλεονεξία, διὰ τοῦτο δοκεῖ πλεονέκτης εἶναι. *quæ ſunt, Quoniam enim & pluriſuſurpator eſt qui iniuſtus eſt, in bonis uerſabitur non omnibus, ſed in quibus proſpera & aduerſa fortuna cernitur: quæ ſunt ſimpliciter quidem ſemper bona, alicui uerò non ſemper. Atqui homines hæc optant & perſequuntur.* Id *autem minimè oportet: ſed optare quidem, quæ ſimpliciter ſunt bona, ut & ſibi ſint bona: ea autem eligere, quæ ſibi ſunt bona. Sed iniuſtus non ſemper quod plus eſt eligit, ſed etiam quod minus, in ijs quæ ſimpliciter ſunt mala: uerum quoniam uidetur & minus malum, bonum quodammodo eſſe, ipſius autem boni eſt pluriſuſurpatio, eam ob cauſam pluriſuſurpator eſſe uidetur.* Et *hæc quidem Ariſtotelis ſunt uerba, quæ ſi quis obſcuriora exiſtimet, ultimum commentariorum in Cebetis tabulam librum adeat, ubi pleniſſimè horum explicatio habetur. Nam paucis hic res abſolui nequit. Cæterum commercia, quorum mentionem in definitione fecit*

ditor, tanquam & in ijs hoc uerſetur uitium, quod ſit propter eam, quam ad alterum obtinet affectionem ſeu habitudinem dicere mauis, cum proprium eius ſeu ſubiectum, ſeu obiectum ea ſint, quæ diximus bona; ea ſic ab Ariſtotele libro eodem diuiduntur, ut eorum alia uoluntaria ſint, alia non uoluntaria. Voluntaria huiuſcemodi, ut uenditio, emptio, mutuatio, ſponſio, commodatio, depoſitio, locatio, conductio: quæ idcirco uoluntaria dicuntur, quod horum contrahendorum principium ſit in nobis & uoluntarium. Non uoluntariorum autem, partim clandeſtina ſunt, ut furtum, adulterium, ueneficium, lenocinium, ſeruorum ſollicitatio, dolo facta cædes, teſtificatio falſa: partim uiolenta, ut pulſatio, uincula, rapinæ, mutilatio, maledictio, conuicium. In quibus omnibus præter dignitatem & meritum, quæ ipſi potiora uidentur, ὁ πλεονέκτης obtinere contendit. Ac talis quidem eſt auaritia. Petulantia autem ab autore eſſe definitur, ea affectio, qua uoluptates ſibi homines comparant, alijs probrum inferentes, quod eam habet ſententiam, ut huius affectionis eſſe uideatur, ex probro alijs inferendo delectationem ſibi quærere, quod peſſimi eſſe animi ego iudicem. Exemplo eſſe Semeï poterit factum, & Abſalonis, quorum alter petulantiſſima lingua Dauidem regem conſectabatur: alter uerò, ut patri probrum inferret, publicè cum eius concubinis

rem habuit. Quanquam Abſalonis factum, quoniam ex conſilio Achitophel aliqua utilitas eo quæreretur, fortaſſe alicui, non abſolutè ὕβρις & petulantia uideatur, ſed malitia potius, & uerſuta ac ſubdola nocendi ratio. Nam ut ex eo Eueni Parij (fuerunt autem tales duo, & ambo elegias ſcripſiſſe feruntur) quod à noſtro citatur autore, eſt animaduertere, ea demum cenſenda eſt petulantia, quæ non alium ſibi ſcopum popoſitum habet, quàm ex alterius dedecore & opprobrio uoluptatem ſibi quærere, ita ut ſi nihil etiam lucri inde reportet, nihilominus tamen iniuriam cum ignominia alicui imponere gaudeat. Quod apud autorem ſequitur, Cæterum iniuſtitiæ eſt, patrias conſuetudines & inſtituta tranſgredi, & cætera, quæ deinceps habentur, hic nunc in quibus ea cernatur impietas, quæ in patriam eſt, exponere incipit. Primum igitur facit, patrias conſuetudines & inſtituta tranſgredi: ab ijs, quæ non ſcripto conſtant exorſus, quod quam uim habeat e[illegible]us eſt manifeſtum, ubi quid patriæ con[illegible], & inſtituta ſint explicatum eſt. Secund[illegible]co ponit, quanquam ordinem non admodu[illegible]andum putem, Legum & magiſtratus obedientiam relinquere & abijcere: rectiſſimè, ſi quid ego iudico, leges & magiſtratum coniungens, ut ex his Ciceronis, libro de legibus tertio, non difficile eſt intelligere. Videtis igitur ma-

giſtratus hanc eſſe uim, ut præſit, præſcribatq; recta & utilia, & coniuncta cum legibus. Vt enim magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus: uereq; dici poteſt, magiſtratum legem eſſe loquentem: legem autem mutum magiſtratum: quæ eam ob cauſam liberius huc aſcripſi, quod non ſolum id, quod dixi, non malè hæc duo coniuncta eſſe, utpote finitima uicinæq; naturæ, ex his animaduerti poſſit, ſed etiam, quid horum utrunq; ſit, quantum noſtro inſtituto ſat eſt, perſpici. Cæterum quod in Rempublicam, hæc, quæ dicta ſunt, qui faciant, iniurij ſint, ex eo cognoſci poteſt, quod hæc ſint quæ Rempub. & ciuilem communitatem contineant, quibusq; ſeruandis & colendis ipſa ſtet. Quare qui hæc uiolat, quantum quidem in ſe eſt, Rempub. euertere & ſocietatem hanc diſturbare aggreditur: ac ſic in Rempub. ac patriam impius & iniuſtus eſt cenſendus. Illa uerò: Mentiri, peierare, pactis cõuentisq; non ſtare, nec in fide manere, poſſunt &: ad [illegible] rri iniurias, quæ in Rempub. fiunt, ſi numir [illegible] uibus aut mentiatur quis, aut peieret, aut pac [illegible] ntisq; non ſtet, nec in fide maneat, hæc per ſe Re [illegible]. intereſſe uideantur: poſſunt autem & priuatæ cenſeri iniuriæ, ſi his primò & per ſe non ciuitas ac Reſp. ſed priuatæ lædantur perſonæ, aut certè quaſi priuatæ, quod qui cum poteſtate ſunt, ſi ſibi priuatim quid emant, aut uendant, aut quouis

alio

alio modo cum aliquo contrahant, hactenus priuati habeantur. Quæ iniuſtitiam conſequuntur, ex his calumniatio quidẽ, quæ Græcis eſt συκοφαντία, ab iſs definitur, ἡ οὐκ ἀληθὴς, ἀλλὰ ψευδὴς κατηγορία. Vocis autem huius originem eiuſmodi eſſe tradunt. Cum apud Athenienſes fici eſſent in pretio, mulctam irrogari ſolere iſs, qui has auferrent, aut euherent: quos qui obſeruarent ac deferrent, ex eo ſycophantarum ſibi nomen inueniſſe. Deinde uerò ad calumniatores & ob res leuiſſimas litem mouentes, ac falſa crimina intendentes, hanc uocem transferri cœpiſſe. Quæ niſi à tot, quorum ſanè nonnulli non contemnendæ ſunt autoritatis, prodita eſſent, Plutarcho, Atheneo, Suida, Phauorino, Feſto Pompeïo, ut alios taceam his recentiores, mihi alia quæpiam huius nominis uideretur poſſe adferri, nec minus fortè probabilis occaſio, id nimirum, quod in uita legimus Aeſopi, qui cum falſò à conſeruis accuſatus eſſet, quod domini ficus comediſſet, aqua tepida hauſta ipſisq́; propinata, & ſuã innocentiam, & accuſatorum prodidit calumniam. Ἀλαζονεία autem, quam arrogantiam uertimus, ut ex Ariſtotele colligi poteſt, ἕξις δέ ἐστι προσποιητικὴ τῶν μὴ ὑπαρχόντων, id eſt, habitus, qui quod ipſi non adeſt, ſibi aſſumit & uendicat: quam ad iniuſtitiam pertinere, cum plus æquo, ſuaq́; dignitate maiora ſibi aſſumat, nulli dubium eſt. Ficta autem & ſimulata hu-

manitas quid ſit, manifeſtum eſt, & quod huc quoq; pertineat. Quanquam eius loco, duo ſunt apud Stobæum, ἀπανθρωπία, & περιποίησις. Sed noſtra lectio melior eſſe uidetur. κακοήθειαν *uerò, quæ ingenij & morum prauitatem ſonat, nos peruerſitatem ſumus interpretati, ad iniuſtitiæ concauſas non malè quis referendam cenſeat: quemadmodum eam, quæ ultima ponitur* πανουργία, *quæ eſt, ut quàm breuiſſimè ipſam definiamus,* κακόσκοπος δεινότης, *id eſt, quæ malum ſcopum ſibi propoſitum habet induſtria.*

ΑΝΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ.

Ἀνελευθερίας δέ ἐστιν εἴδη τρία· αἰσχροκέρδεια, φειδωλία, κιμβεία. ἔστι δὲ, αἰσχροκέρδεια μὲν, καθ' ἣν κερδαίνειν ζητοῦσι πανταχόθεν, καὶ τὸ κέρδος τῆς αἰσχύνης περὶ πλείονος ποιοῦνται. φειδωλία δέ ἐστι, καθ' ἣν ἀδάπανοι γίνονται τῶν χρημάτων εἰς τὸ δέον. κιμβεία δέ ἐστι, καθ' ἣν δαπανῶσι μὲν, κατὰ μικρὸν δὲ, καὶ κακῶς, καὶ πλέον βλάπτονται διὰ τὸ μὴ κατὰ καιρὸν ποιεῖσθαι τὸ διάφορον. ἔστι δὲ τῆς ἀνελευθερίας, τὸ περὶ πλείστου ποιεῖσθαι χρήματα· καὶ τὸ μηδὲν ὄνειδος ἡγεῖσθαι τῶν ποιούντων τὸ κέρδος· καὶ βίος θητικὸς, καὶ δουλοπρεπὴς, καὶ ῥυπα-

ῥυπαρός, καὶ φιλοτιμίας καὶ ἐλευθερίας ἀλλότριος. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ ἀνελευθεριότητι, μικρολογία, βαρυθυμία, μικροψυχία, ταπεινότης, ἀμετρία, ἀγέννεια, μισανθρωπία.

QVAE ILLIBERALITATIS.

Illiberalitatis tres ſunt ſpecies: turpis quæſtus, tenacitas, ſordes. Eſt autem turpis quidem quæſtus, quo undecunq; lucrari quærunt, lucrũq; pluris quàm pudorem faciunt. Tenacitas uerò eſt, per quam efficitur, ut impenſam, in quæ oportet, facere non ſuſtineant. Sordes autem ſunt, quibus fit, ut ſumptum quidem faciant, ſed perparcè reſtrictéq; nimium, & plus detrimenti accipiant, qđ non in tempore, quod res poſtulat, faciant. Eſt autem illiberalitatis, pecunias plurimi facere: nihil probro eſſe putare eorum, quæ ad quæſtum faciant: mercenaria, ſeruilis ac ſordi-

da uita, & à magnificentia ac liberalitate aliena, Conſequitur autem illiberalitatem curioſa rerum etiam minutarum æſtimatio, moroſitas, puſillanimitas, humilitas, ignobilitas, inhumanitas.

Cum illiberalitas in duobus, acquirendo nimirum, erogandoq́; ac impendendo cernatur, & illic quidem, eo quod nimium eſt, peccet, hîc uerò, eo quod parum: inſit autem non omnibus tota, ſed interdum, ut libro quarto Ethicorum ad Nicomachum docet Ariſtoteles, ſeparetur, meritò in duo ſtatim diuiditur genera, quorum alterum ad exuperationem pertineat, alterũ uerò ad defectionem. Nam illiberalium nonnulli, & unde, & à quibus nõ oporteat, accipiunt, nec modum ullum acquirendi ſtatuunt, nihil non facientes ac patientes turpium, ut aliquid ſaltem lucrifaciant, Iuuenalis illud ſemper in promptu habentes,

– Lucri bonus eſt odor ex re

Qualibet,

quos Græci αἰσχροκερδεῖς *nominant, & uitium ipſum* αἰσχροκερδίαν, *quod eſt, turpis lucri ac quæſtus cupiditatem: cuius etiã nomine à C. Suetonio Tranquillo Veſpaſianus qui ſententiæ illius Satyrographo*

occaſio-

occaſionem dedit, eſt notatus, qui reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ uectigal commentus eſſet, pecuniam ex prima penſione admouit ad nares, ſciſcitans num odore offenderetur: & illo negante, atqui, inquit, è lotio eſt. Quidam *uerò uel probitate aliqua, uel ut infamiam & turpitudinis notam fugiant, ab huiuſmodi lucro ſe abſtinent: ſunt etiam qui ne quid rurſus alicui elargiri, & cumulatiore menſura, quæ acceperint, ut iubet* Heſiodus, *reddere cogantur, aliena nec appetant, nec accipere uelint: quemadmodum & alij, ne quid ipſi ab alijs detrimēti accipiant & incommodi patiantur, ab alienis pecunijs ac rebus, huiuſmodi formidine, manus abſtinent, quod difficile uideatur, qui aliena rapiat, non & ipſum ſimile quid pati, aut certè in legum pœnam non incurrere.* Sed *dum hinc ex illiberalitatis crimine, ſeu opinione potius expedire ſe conantur, altera rurſus ex parte in idem ſe induunt, inſumere ut oportet non audentes, nec bonis partis commodè uti.* Horum *duas ſpecies noſter fa cit autor.* Nam *eorum alij nullam omnino impenſam facere ſuſtinent, ut non magis ipſi diuitias habeant, quàm ab ijs habeantur, quos* φειδωλοὺς *Græci nominant, inde, ut ego arbitror, appellatos,* Διὰ τὸ ὅλως, τοῦτ᾽ ἔστι, πάμπαν φείδεσθαι, *id eſt, quod in totum, id eſt, omnino ac uſquequaq; parcant.* Nam *quam* Phauorinus *adfert etymologiam, ut* φειδωλὸς παρὰ τὸ

φείδομαι, καὶ τὸ δοῦναι, τροπῇ τοῦ δ εἰς τὸ λ, ὡς φειδωδός τις ὤν, ſit nominatus, ea mihi coactior uidetur: alij uerò ſumptum quidem faciunt, ſed reſtrictè nimium, nec ut res poſtulat, nec in tempore, nec qua alacritate oportuit, qui κίμβικες dicuntur, ὡς βίᾳ κινούμενοι, ut uult Aſpaſius, id eſt, tanquam qui ui moueantur, & ad faciendum ſumptum inuiti protrudantur. Quanquam non deſunt, qui ab apicula, quæ Græcis κίμβικον dicatur, ductum nomen uelint, ut Suidas. Heſychius ἀπὸ τοῦ κίμβου, quod fundum ollæ fictilis ipſi ſignificat, potius dici arbitratur. Cœlius autem Rhodiginus ἀπὸ τοῦ κιβδήλου χρυσίου: ſed, ut arbitror, κιβδήλως minusq́ uerè. Definit autem turpem quæſtum noſter autor, eum eſſe, quo undecunque lucrari quærunt, id eſt, ex quauis re quæſtum facere, etiamſi ea parum ſit honeſta, homineq́ libero digna, ut uſura, lenociniũ, & id genus reliqua: lucrumq́ pluris quàm pudorem faciunt, id eſt, pudorem lucro poſthabent, ut apud Terentium Leno, qui interroganti Antiphoni, Non pudet uanitatis, reſpondet. Minimè dum ob rem. A quo nec illud Sophoclis diſsidet,

Τὸ κέρδος ἡδὺ, κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἔῃ,

quod eſt,

Dulce eſt lucrum, profectum & à mendacijs.

Tenacitatem autem, quæ altera eius generis eſt ſpecies, quod in erogandi impendendiq́, ut dictum eſt,

defectione cernitur, eſſe inquit, per quam efficitur ut impenſam, in quæ oportet (quænam autem hæc ſint, in iis explicandis, quæ ad liberalitatem pertinent, ſuperius eſt dictum) facere homines non ſuſtineant: quod inde adeò ipſis accidit, quod opinionem uehementem de pecunia, quaſi ualde & per ſe expetenda ſit, non ob uſum aliquem corpori neceſſarium, aut ut hac uirtus, tanquam inſtrumento quopiam inſtructa, ſuas facilius actiones exerat, inhærentem & penitus inſitam habeant: in quos Horatii illa rectè conueniant,

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina. quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. congeſtis undiq; ſacris
Indormis inhians: & tanquam parcere ſaccis
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Neſcis quid ualeat nummus, quem præbeat uſum.
Panis ematur, olus, uini ſextarius, adde
Quîs humana ſibi doleat natura negatis.
An uigilare metu exanimem, noctesq; diesq;
Formidare malos fines, incendia, ſeruos,
Ne te compilent, fugientes: hoc iuuat? horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.

κιμβεῖαν *uerò, quæ eſt altera eiuſdem dicti generis ſeu differentia, ſeu ſpecies (nos ſordes, quas profuſis epulis & ſumptibus opponit Cicero, à diuerſa licet notione ducto uocabulo, ſed cui eadem res ſubiiciatur,*

tur, ſumus interpretati)eſſe definit, qua fiat, ut ſumptum quidem faciant, ſed perparcè reſtricteq; nimium, quæ quid ſibi uelint, non obſcurum: & plus detrimenti accipiant, quod non in tempore, quod res poſtulat, faciant: quorum ego uerborum hanc uim eſſe exiſtimo, ut aſſerat autor ſordidos hos, quod non in tempore & cum opportunum ſit, id faciant, quod res poſtulat, id enim hoc loco ſonat Διάφορον, maius inde detrimentum accipiant: exempli cauſſa, Sit ſordido alicui emenda frumenta, aut uinum in uſum familiæ. Hic pecuniæ nimium addictus & deditus cunctetur, emptionemq; quotidie differat ac procraſtinet, donec triplo aut quadruplo aucto uini aut frumenti pretio, quod uiginti antea emere potuiſſet, nunc ſexaginta aut octoginta redimere cogatur. Ex ſordibus hunc ſuis damnum ſibi aliquod contraxiſſe, quod in tempore pecuniam impendere in ea non ſuſtinuerit, perſpicuum eſt. Rurſus ipſi ſit filia iam nubilis & matura uiro. Eam, cum multi ambiant honeſti & diuites, ne in dotem pecuniæ pars aliqua inſumatur, non elocet: hæc poſtea, quod ferè fieri ſolet, in ſtuprum illiciatur, an nõ & huic damnoſæ ſordes? Sexcenta id genus alia inuenerimus, ſi per hominum uitam animum circumferamus. Et tres quidem illiberalitatis ſpecies hæ ſunt. Eſt autem eius uitij, ut inquit autor, de toto nimirum genere agens, pecunias

plurimi

plurimi facere: quod eſt ex æquo trium ſpecierũ commune: Nihil probro eſſe putare eorum, quæ ad quæſtum faciant, id eſt, ut habet prouerbium, κέρδος αἰσχύνης ἄμεινον, *Lucrum pudore præſtantius ducere, & Ennianum illud in animo inſculptum habere,*

Vnde habeas curat nemo, ſed oportet habere: quod in primam potiſſimum conuenit ſpeciem, ut eſt ex ijs, quæ de ea dicta ſunt, perſpicuum: quemadmodum ſanè & id quod ſequitur, Mercenaria, ſeruilis & ſordida uita: quanquam poſſint & ad reliquas quoq; aliquo modo accommodari ſpecies. Certè quod ſequitur, & à magnificentia ac liberalitate aliena, ad omnes rurſus æqualiter pertinet. Cæterum quod rectè mercenaria, ſeruilis & ſordida uita illiberalitati & auaritiæ tribuatur, etiã ex his Gellij patet. Quos, inquit, auaritia minuit & corrumpit, quiq; ſeſe quærenda undiq; pecunia dediderunt, eos pleroſq; tali genere uitæ occupatos uidemus, ut ſicuti alia in his omnia præ pecunia, ita labor quoq; uirilis exercendiq; corporis ſtudium relictum ſit. Negotijs ſe plerunque umbraticis & cellularijs quæſtibus intentos habent, in quibus omnis eorum uigor animi corporiſq; elangueſcit, &, quod Saluſtius ait, effœminatur. Hactenus Gellius. Conſequitur autem illiberalitatem, inquit autor, curioſa rerum etiam minutarum æſtimatio. Nam ſic μικρολογίαν *circumlocutus ſum, ut noſtra inter-*

pretatio definitionis etiam uſum præſtet: moroſitas, quæ quid ſit, iam antea eſt explicatum, ubi de iracundiæ ſpeciebus egimus: puſillanimitas, cuius & ipſius ſuperius explicata eſt definitio, quæq; ad eius naturam referuntur, ſtatim ſubijcientur: humilitas, per quam hoc loco non generis intelligo obſcuritatem, ſed potius animum humilem & abiectum, aut uitam contemptam & ſordidam, aut etiam utrunq;. Tales enim eſſe illiberales plurimum ſolent: immoderatio, id eſt, à mediocritate receſſus, quod nõ huius proprium, ſed omnium uitiorum eſt commune: ignobilitas, quam ego potius ad degenerem & ingeneroſum animum, quàm generis aut fortunæ conditionem retulerim, ut in eius contrario ſuperius ſatis copioſè oſtendimus. Quanq; uidetur hæc affectio, quemadmodum & humilitas, ad puſillanimitatem potius pertinere. Sed quoniam & puſillanimitas ab autore huc refertur, non mirum, ſi & ea, quæ ipſam cõſequuntur, eodem quoq; reducantur. Reſtat inhumanitas, Græcis μισανθρωπία appellata, cui φιλανθρωπία, quæ ſuperius in iis, quæ liberalitati tribuuntur, eſt explicata, opponitur, eſtq; odium quoddam hominum, quod malum unde ſuboriatur, his uerbis in Platonis Phædone docet Socrates. ἥτε γὰρ μισανθρωπία ἐνδύεται ἐκ τοῦ σφόδρα τινι πιστεῦσαι ἄνευ τέχνης, καὶ ἡγήσασθαι παντάπασί γε ἀληθῆ εἶναι καὶ ὑγιῆ καὶ πιστὸν τὸν ἄνθρω-

πον,

πον, ἔπειτα ὀλίγον ὕστερον εὑρεῖν τοῦτον πονηρόν τε καὶ ἄπιστον, καὶ αὖθις ἕτερον. καὶ ὅταν τοῦτο πολλάκις πάθῃ τις, καὶ ὑπὸ τούτων μάλιστα, οὓς ἂν ἡγήσαιτο οἰκειοτάτους τε καὶ ἑταιροτάτους, τελευτῶν δὴ θαμὰ προσκρούων μισεῖ τε πάντας καὶ ἡγεῖται οὐδενὸς οὐδὲν ὑγιὲς εἶναι τὸ παράπαν, quod eſt. *Nam inhumanitas, ſeu odium aduerſus homines, ex eo ſeſe in animum inſinuat, quod nimium alicui ſine arte fidē habeamus, & arbitremur omnino ueracem eum eſſe, integrum & fidelem hominem, deinde paulò pòſt inueniamus hunc & prauum & infidelem: & ſic rurſus alium: cumq́; hoc ſæpenumerò alicui accidat, & potiſſimum ab iis, quos maximè ſibi familiares & amicos eſſe ducebat, tandem ſanè frequenter offenſus, omnes odio habet, neq; quicquam ſani apud quenquam prorſus eſſe exiſtimat. Cæterum pulchrè admodum in Luciani Timone, qui & μισάνθρωπος inſcribitur, huiuſmodi hominis depinguntur mores. Meritò autem hæc inhumanitas illiberalitati tribuitur & illiberali, ut cui non eam ſolum ob cauſam, quam ex Platone adduxi, hæc inſit affectio, ſed etiam quod ex ſuo ingenio & deprauato animo ac κερδαλέῳ reliquos homines æſtimet ac metiatur, & ſic ſynceri uerìq; nuſquam quicquam eſſe arbitretur. Et quæ ad illiberalitatem pertinent hæc ſunt. Quæ uerò ad puſillanimitatem ea ſunt eiuſmodi.*

ΜΙΚΡΟ-

ΜΙΚΡΟΨΥΧΙΑΣ.

Μικροψυχίας δέ ἐστι, τὸ μήτε τιμὴν, μήτε ἀτιμίαν, μήτε εὐτυχίαν, μήτε ἀτυχίαν δύνασθαι φέρειν. ἀλλὰ τιμώμενον μὲν χαυνοῦσθαι, καὶ μικρὰ εὐτυχήσαντα ὑπεξαίρεσθαι· ἀτιμίαν δὲ μηδὲ τὴν ἐλαχίστην ὑπενέγκειν δύνασθαι, ἀποτεύγμα δὲ ὁποιοῦν, ἀτυχίαν κρίνειν μεγάλην, ὀδύρεσθαί τε ἐπὶ πᾶσι, καὶ δυσφορεῖν. ἔτι δὲ τοιοῦτός ἐστιν ὁ μικρόψυχος, οἷος πάντα τὰ ὀλιγωρήματα καλεῖν ὕβριν καὶ ἀτιμίαν, καὶ τὰ δι᾽ ἄγνοιαν, ἢ λήθην, ἢ ἄνοιαν γιγνόμενα. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ μικροψυχίᾳ, μικρολογία, μεμψιμοιρία, δυσελπισία, ταπεινότης.

QVAE PVSILLANIMITATIS.

Puſillanimitatis uerò eſt, nec honorem, nec ignominiam, nec proſperam nec aduerſam fortunam ferre poſſe: ſed cũ honeretur quidem, inflari ac turgeſcere, cum uerò etiam parua utatur proſperitate, illico lætitia efferri: ignominiam autem ne minimam quidem pati poſſe, fruſtratio-

ſtrationem uerò quamlibet, infortunium magnum iudicare, & quæuis lamentari ac moleſtè ferre. Præterea puſillanimus eiuſmodi eſt, qui quaslibet ſui neglectiones, contumeliam uocet & ignominiã, etiam eas, quæ uel propter ignorationem, uel obliuionem, uel incogitantiam accidunt. Conſequitur autem puſillanimitatem, curioſa rerum etiam minutarum æſtimatio, querimonia, deſperatio, humilitas.

Quæ hic ad puſillanimitatem ab autore referuntur, eorum pars maxima nihil aliud, quàm latior quædam definitionis explicatio eſſe uidetur. Quare diu his immorari maximeq́; cum pleraq; aperta ſatis ſint, non eſt neceſſe. Primum igitur cum inquit, puſillanimitatis eſſe, nec honorem, nec ignominiam, nec proſperam, nec aduerſam fortunam ferre poſſe, id ipſum, quod in definitione dixerat, repetit, & uerbis quidem iiſdem, ſed ordine nonnihil immutato, ut honorem & ignominiam, in quibus immoderatè ferendis, primò & per ſe hoc cernitur uitium, hîc præponat, cum

tut, cum illic ſecundo collocarentur loco: proſperam uerò & aduerſam fortunam, quæ ſecundaria quadã ratione huic uitio, eiq;, quæ ipſi opponitur, uirtuti, ut prius eſt indicatum, ſunt ſubiecta, poſteriora recto ſeruato ordine faciat, quæ tamen illic priora habebantur. Cum uerò ſubijcit, Sed cum honoretur ſtatim inflari ac turgeſcere, cum uerò etiam parua utatur proſperitate illicò lætitia efferri: ignominiam autem ne minimam quidẽ pati poſſe, fruſtrationem uerò quamlibet, infortunium magnum iudicare, & quæuis lamentari ac moleſtè ferre, hæc iam eorum, quæ præceſſerunt quædam interpretatio ſunt, ex qua id quod ſuperius dictum eſt, facile intelligatur, μικροψυχίας nomine & definitione, utrunq; ab autore extremum, quod cũ magnanimitate pugnat, ipſiq; contrariũ eſt, cõprehendi, & eam, in quã, quæ propriè μικροψυχία dicitur, & ad defectionẽ pertinet, & χαυνότητα, quam tumiditatẽ ſeu turgiditatẽ uertas licet, quæ alterum eſt extremum ad exuperantiã pertinens, in quadam animi elatione & ſuperbia ſpectatum. Cæterum ut ea, quæ hîc ab autore dicuntur, exquiſitius intelligamur, utrunq; prius per ſe, & propriè dictum puſillanimum, & tumidum, ſeu inflatum definiamus. Neq; uerò quicquam intereſſe uidetur, habitus ipſos, an eos, qui ex his nomen ſibi inuenerunt, definitione explicemus, quod altero illorum cognito & alte-

rum continuò noſcatur. Eſt igitur puſillanimus, qui propriam dignitatem non intelligens, minoris ſe quàm par eſt æſtimat, eoq; planè abijcit negligitq;, magnis relictis, in paruis acquieſcens & humilibus longeq; infra ſuam dignitatem poſitis, animumq; in omnibus deſpondens. Turgidus autem, ſeu tumidus, ſeu inflatus dicere mauis, qui magnificè de ſe ſentit, & animum extollit, ac ſe magnis dignum exiſtimat, indignus cum ſit, magnaq; & quibus impar eſt, aggreditur, inſolentius ſe efferens, & ubiq; ac in omnibus iactans atq; oſtentans, & inanem aucupans rumorem, omnesq; umbras etiam falſæ gloriæ conſectans. Ac horum quidem uitiorum utriuſq; ea eſt, quam deſcripſimus, natura, plurimum quidem inter ſe diuerſa atque adeò contraria, ſed quàm hoc loco in unum contrahit autor, & totam puſillanimitati tribuit. Nam quod inquit, Sed cum honoretur quidem, inflari ac turgeſcere, cum uerò etiam parua utatur proſperitate, illicò lætitia efferri, id quidem non eius, quæ propriè appellatur puſillanimitas, eſſe, ſed tumiditatis, et ex definitionibus, quas paulò antè ſubiecimus, perſpicuũ eſt. Huius enim fuerit, qui ex inani rumore pẽdet, uulgiq; opinione, ſi quis fortè, ut Horatij uerbis utar,

Creſcentem tumidis inflet ſermonibus utrem,

aut alio quopiam modo ipſi aduletur honoremq; deferat, illicò turgeſcere ac tumere, criſtas tollere, &

ut noſtri non malè, arbitror, loquuntur, tribus pedibus altiorem incedere. Rurſus autem *ſi fortuna in quo quam blandiatur, & ad uoluntatem ſuam res ipſi fluere cœperint, non in ſecundis rebus, aduerſa animo præcipit, fortunæ inconſtantia & uarietate æſtimata, quæ, ut inquit Seneca, neſcit quieſcere, gaudet lætis triſtia ſubſtituere, & utraq; miſcere: ſed continuò lætitia effertur, exultat, immoderatè iactatur, gaudio redundat & effunditur, neque reprimere ſe amplius aut continere poteſt.* Quod *uerò deinde ſequitur,* Ignominiam *autem ne minimam quidem pati poſſe, fruſtrationem uerò quamlibet, infortunium magnum iudicare, & quæuis lamentari ac moleſtè ferre, totum hoc iam puſillanimitatis propriè dictæ eſt, ut cuius ſit, ob quancunq; deſpicationem affligi deprimiq;, & ſi uel minimũ reflauerit fortuna, & quid ipſius actionibus interuenerit incommodi, protinus, tanquam extrema patiatur, iacere, animo conſternari, deos atque homines incuſare, ingemere, flere, lamentari.* Iam *uerò & illud, præterea puſillanimus eiuſmodi eſt, qui quaslibet ſui neglectiones, contumeliam uocet & ignominiam, etiam eas, quæ uel propter ignorationem, uel obliuionem, uel incogitantiam accidunt, ad eandem quoq; pertinet puſillanimitatem.* Eſt *autem horum uerborum ſententia talis, ut nimirũ dicat autor, eum, qui parui eſt animi, omnia ferè, quæ ſibi accidunt,*
in de-

In deteriorem interpretari partem,ut exempli cauſa, præterit familiarium quis eum, & alijs intentus, aut forte ipſum non agnoſcens ſalutare negligit. Hanc ne*glectionem ſtatim, ſui contemptum, contumeliam & ignominiam interpretatur: & in reliquis, quæ in uitã incidunt, pari modo.* Rectè autem noſter autor, trium *horum meminit, ignorationis, obliuionis & incogitantiæ (ſic enim hoc loco τὴν ἄνοιαν, quam ex Stobæi autoritate addendam puto, interpretor) potiſsimas non uoluntariæ neglectionis cauſas his comprehendens.* Nam *quos non ſtudio, nec noſtra uoluntate negligimus, id eſt, non curamus ac præterimus, eos uel non agnoſcimus, ut ſi quis inſignem aliquem uirum & eruditione conſpicuum, ſed ſibi ignotum, ad ſe uenientem, non pro ipſius dignitate exciperet, nec tractaret, nec diſcedentem ſatis honorificè à ſe dimitteret: uel agnoſcimus quidem, ſed quibus titulis ipſum cõpellare debeamus, non ſatis meminimus: uel ut etiam meminerimus, alijs quibuſdam intenti, incogitantia quadam & imprudentia nonnunquam eos omittimus.* Quanquam *uidentur & aliæ permultæ huius neglectionis eſſe cauſæ, ut feſtinatio, aut ſocietas, quò minus quempiam aliqua iter facientes ſalutemus, & alia id genus plurima.* Conſequitur *autem puſillanimitatem, inquit, curioſa rerum etiam minutarum æſtimatio, quod & inter illiberalitatis ſymptomata nu-*

merabatur. Sed illuc quidem ſic referebatur, ut μικρο-λογία, in iis ſpectaretur, quæ illi uitio propriè ſunt ſubiecta, quæ uno nomine Græcis χρήματα, Latinis pecuniæ dicuntur, in quibus teruntij uel acceßionem ac lucrum, uel erogationem & amißionem nimis magnifaciant. Huic autem uitio *cum tribuitur, in minimi honoris ac ignominiæ, proſperitatis & aduerſitatis æſtimatione ſcrupuloſa conſiſtit.* μεμψιμοιρία *uerò, uox eſt compoſita,* ἐκ τοῦ μέμφεσθαι τὴν μοῖραν. *Cum autem* μοῖρα *inter cætera* καὶ τὴν μερίδα, καὶ τὴν εἱμαρμένην, καὶ τὴν τύχην, *ſignificet, ſit, ut* μεμψίμοιρος *& pro eo accipiatur, qui quod deteriorem ſe accepiſſe partem putet, ægrè ferat & conqueratur, idq; dupliciter. Aut enim quod laborum & incommodorum maiorem: aut quod præmiorum & emolumentorum minorem, & pro eo, qui aut fatum, aut fortunam incuſat, quæ omnes acceptiones ac uerbi ſignificationes huic pulchrè loco congruunt: ut & ea, ſi modo & ſic uſurpetur, qua officij accuſationem ſonare poſſe uideatur, cum* μοῖρα *etiam, ut annotant* Grammatici, τὸ καθῆκον, καὶ τὸ πρέπον *ſignificet, ut in illo* Homeri, *libro primo* iliados.

Ναὶ δὴ ταῦτά γε πάντα γέρον κατὰ μοῖραν ἔειπες.

Deſperatio *uerò (ſic enim malo* Δυσελπιστίαν, *quam diffidentiam uertere, quæ fidentiæ, ut defectio quædam opponitur, magisq; ad timiditatem pertinet) eſt*

ægritudo ſine ulla rerum expectatione meliorum, ut libro Tuſculanarum quæſtionum quarto ex Stoicorum ſententia eam definit Cicero. Humilitas autem & prius eſt explicata, & quod huc pertineat dictum eſt. Atque hæc quidem ſunt, quæ ad uirtutem ac uitioſitatem unamquanq; noſter referenda duxit autor. Supereſt, ut quæ uirtuti uniuerſæ & uitioſitati tribuat uideamus.

ΑΡΕΤΗΣ ΚΑΙ ΚΑΚΙΑΣ ΚΑΘΟΛΟΥ.

καθόλου δὲ τῆς μὲν ἀρετῆς ἐστι, τὸ ποιεῖν σπουδαίαν τὴν διάθεσιν, περὶ τὴν ψυχὴν ἠρεμαίαις καὶ τεταγμέναις κινήσεσι χρωμένην, καὶ συμφωνοῦσαν κατὰ πάντα τὰ μέρη. διὸ καὶ δοκεῖ παράδειγμα πολιτείας ἀγαθῆς εἶναι, ψυχῆς σπουδαία διάθεσις. ἔστι δὲ τῆς ἀρετῆς, τὸ εὐεργετεῖν τοὺς ἀξίους· καὶ τὸ φιλεῖν τοὺς ἀγαθοὺς· καὶ τὸ μισεῖν τοὺς κακούς· καὶ τὸ μήτε κολαστικὸν εἶναι, μήτε τιμωρητικόν, ἀλλὰ ἵλεων, καὶ εὐμενικόν, καὶ συγγνωμονικόν. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ ἀρετῇ, χρηστότης, ἐπιείκεια, εὐγνωμοσύνη, ἐλπὶς ἀγαθή. ἔτι δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα, οἷον φιλοίκειον εἶναι, καὶ φιλόφιλον, καὶ φιλέταιρον, καὶ φιλόξενον, καὶ φιλάνθρωπον, καὶ φιλόκαλον· ἃ δὴ πάντα τῶν ἐπαινουμένων ἐστί. τῆς

δὲ κακίας ἐστὶ τὰ ὑπεναντία, καὶ παρακολουθεῖ τὰ ἐναντία αὐτῇ. πάντα δὲ τὰ τῆς κακίας, καὶ τὰ ἀκολουθοῦντα αὐτῇ, τῶν εἰρημένων εἰσί.

QVAE VIRTVTIS ET VITIOSItatis *generatim atq; uniuerſè.*

Cæterum generatim atq; uniuerſè uirtutis quidem eſt, honeſtũ probum'q; affectum animi efficere, qui tum placidis quietis'q; utatur ac compoſitis motibus, tum omnibus ſuis partibus conſentiat ac conſpiret. Quapropter & bonæ exemplar reipub. animi proba uidetur affectio. Eſt autem uirtutis, in dignos beneficium conferre: bonos amare: malos odiſſe: ad pœnas repetendas uindicandum'q; minimè procliuem eſſe, ſed clementem, benignum, placabilem & ad ignoſcendum propẽſum. Conſequitur autem uirtutem, probitas,

bitas, æquitas, integritas & beneuolentia, bona ſpes. Inſuper autem & familiarium, amicorum ac ſodalium amantem eſſe, hoſpitalem, humanum, honeſti ſtudioſum: quæ certè omnia in numero rerum laudandarum reponuntur. Vitioſitatis uerò ſunt, quæ cum his pugnant, & contraria quædam ipſam conſequũtur. Cæterũ omnia quæ uitioſitatis ſunt, quæq; ipſam conſequuntur, ex eorum ſunt numero, quæ iam dicta ſunt.

Explicatis iis, quæ cuiq; uirtuti & uitioſitati ab autore ſunt tributa, reliquum eſt, ut & ea enarremus quæ de uirtute & uitioſitate generatim atq; uniuerſè diſſerit: inter quæ primum eſt, quod uirtutis eſſe dicat honeſtum probumq; affectum animi efficere, qui tum placidis quietisq; utatur ac compoſitis motibus, tum omnibus ſuis partibus cõſentiat & conſpiret: quod mihi cum uirtutis notione cohærere uidetur. Nam ſi omnis uirtus, ut libro Ethicorum Nicomachiorum ſecundo inquit Ariſtoteles, cuius fuerit uirtus, & ipſum

ut rectè ſit affectũ efficit, eiuſq; opus abſoluit ac perficit, ut equi, exempli cauſa, & canis, uitis & ficus, ex quibus, illorum quidem in corporis robore & agilitate, curſuſq; celeritate, horum autem in fertilitate, optimiſq; ſui cuiuſq; generis fructibus uirtus cernitur, erit utiq; & hominis, eiuſq; animi uirtus, quæ & animum ut rectè affectus ſit efficit, & ipſius actiones uitamq; uniuerſam ad rationis normam dirigit. Atq; id eſt, quod à noſtro dicitur autore, qui per σπουδαίαν διάθεσιν, & omnium animi partium conſpirationem conſenſumq;, prius illud ſignificat: per placidos autem quietoſq; ac compoſitos motus, poſterius. Quanquam poteſt & ſic eius accipi oratio, ut cum in genere bonum dixiſſet animi affectum, deinceps quaſi in partes diuidat, placidos quietoſq; ac compoſitos motus, & animi partium conſpirationem conſenſumq;: quorum illud, ut in Sophiſta docet Plato, animi quædam eſt pulchritudo, hoc uerò ſanitas. Vocat autem placidos quietoſq; motus, qui ſedati ſunt animi & ab omni perturbatione liberi: compoſitos uerò, moderatos & in quibus rationis ac ordinis conſeruatio ſpectatur. Partium autem animi συμφωνίαν, id eſt, conſenſum concentumq; quid appellet, ex uirtutum diuiſione his commentarijs ſubijcienda erit perſpicuum, quod eam nimirum dicat, qua rectè imperandi parendiq; in animo eiuſq; partibus diſtributis officijs &

muneribus omnia in unius uirtutis ac honeſti abſolutionem conſentiant & conſpirent. Cæterum huiuſmodi probam animi affectionem, bonæ ac rectè conſtitutæ Reip. *exemplar eſſe aſſerit, quod ut in anima tria quæpiam ſunt, ratio, animus & cupiditas, in quorum conſenſu concentuq; eius recta cõſiſtit affectio & uirtus, ſic & in* Repub. *tria inueniantur hominum genera, quæ tribus illis proportione reſpondeant, Senatorium quidem, rationi, Auxiliarium autem, animo (animaduertis enim, arbitror me animum* ἀντὶ τοῦ θυμοῦ *uſurpare)* Operarium *uerò, cupiditati, quibus inter ſe rectè conciliatis, & in unius quaſi corporis integritatem legitimè coniunctis, uniuerſa* Reſpub. *bene ſe habeat, & incolumis ac beata reddatur, quod & ipſum latius à nobis in ea, cuius modo mentionem feci, uirtutum diuiſione explicabitur.* Eſt *autem uirtutis, inquit autor, in dignos beneficium conferre, quod rectè ab ipſo eſt dictum.* Nam *cum uirtutis natura benefica ſit, in quo hæc fuerit, ad benè de alijs merendum eius uoluntas erit propenſa. Sed quoniam & uirtutis eſt, ad certam rationis normam omnia dirigere, ac iudicio quodam facere, cumq;, ut inquit Seneca, nulla ſit honeſta uis animi, etiamſi à recto uoluntate incœpit, niſi quam uirtutum modus fecit, non temere, nec cuiuis beneficium dabit, nec liberalitatem, ut idem loquitur autor, nepotari ſinet, id eſt, in prodigalitatem*

tem

tem exire, quod fieret, ſi ſine omni delectu & diſcrimine in quoſuis beneficia conferret (ſic enim cum Senecæ locum, ut & id obiter annotemus, intelligendum exiſtimo, ut nepotari ad dantem liberalitatem, nõ accipientem hominem referatur, ut uelle uidetur doctiſſimus alioqui, & de re literaria optimè meritus Deſiderius ille ERASMVS *noſtræ patriæ ornamentum, qui locum quidem hunc optimè reſtituit, ſed in eius explicatione hac certè parte mihi non ſatis fecit) ſed æquitate æſtimationis adhibita, dignos beneficijs complectetur. Bonos autem amare, uirtutis etiam eſſe, ut aſſerit autor, ex eo facile perſpexerimus, quod ut libro quarto, & octauo de legibus inquit Plato, quæ mediocritate quadam moderata ſunt, & uirtute prædita ſimilia ſimilibus ſint amica. Sed & malos odiſſe, quod apud Stobæum additur, & addendum uidetur, uirtutis fuerit, quod eiuſdem ſeu indolis, ſeu ingenij potius dixeris, ſit, & bonos amaſſe, & malos odiſſe: quod ita tamen intelligendum eſt, uirtutis eſſe, malos odiſſe, quia mali ſunt, id eſt, uitia in ipſis execrari ac deteſtari: ſed quia tamẽ & homines ſunt, & fortaſſe etiã conciues, non odiſſe, ſed potius amaſſe ac miſericordia eorum commoueri. Cui etiam pulchrè id quod ſequitur conſonat, Ad pœnas repetendas uindicandumq́; minimè procliuem eſſe, ſed clementem, benignum, placabilem & ad ignoſcendum*

pro-

propenſum, quorum partim ad lenitatem, partim ad liberalitatem, nonnulla etiam ad animi magnitudinem pertinere uidentur. Quidnam autem ſit, μήτε κολαστικὸν εἶναι, μήτε τιμωρητικὸν, id eſt, ad pœnas repetendas uindicandumq́; minimè procliuem eſſe, iam antea explicatum eſt. ἵλεων autem, πρᾶον interpretantur, εὐμενῆ, nonnulli etiam ἱλαρὸν, id eſt, lenem, benignum, hilarem: quorũ ultimum hoc non admodum ipſi conuenire exiſtimo: medium etiam diuerſum quid ab eo eſſe, inde forſitan quis ſuſpicetur, quod apud autorem noſtrum poſt ἵλεων, & εὐμενικὸν ſubijciatur, tanquam quid ab eo diuerſum ſonans. Sed cum tria hæc, ἵλεων, καὶ εὐμενικὸν, καὶ συγγνωμονικὸν, τῷ κολαστικῷ & τιμωρητικῷ ut contraria quodammodo opponantur, poſſum horum duo ſic accipi, ut primo illi ἐπεξηγητικῶς ſint adhibita, id eſt, ad eius uim explicandam, quód non rarò apud autores fieri ſolet, ut nimirum hæc omnia in comitate quadam & facilitate & animaduertendi moderatione cernamur. Quanquam priuatim ac peculiariter ἵλεως, id eſt, clemens eſſe uidetur, qui placidus ac lenis eſt, placatus & alicui propitius. Cuius loco apud Stobæum προσηνῆ legimus, in quem unum omnia tantum non bona effundit Phauorinus, καλὸν ipſum, ἡδὺν, ὠφελικῆ, ἀγαθὸν, πρᾶον, χρηστὸν, προσφιλῆ interpretans. Videtur autem hæc uox ἀπὸ τοῦ

προσο-

προσοχῆς τῶν ἡνίων, id eſt, ab adhibendis habenis ducta, ſignificareq́; affectionem, quæ in animi quadam moderatione, manſuetudine morum ac facilitate conſiſtat: de qua ſic apud Terentium Demea,

FACILITate nihil hoī eſſe melius, neq; clemētia,
Id eſſe uerū, ex me, atq; ex fratre cuiuis facile'ſt
noſcere.

Εὐμένειαν autem idem Phauorinus eſſe inquit, τὸ ἔλεος, καὶ τὴν χάριν τὴν ἀπὸ μείζονος ἐπ' ἔλαττον γινομένην· καὶ εὐμενῆ ἀπὸ τούτου, τὸν κεχαρισμένην ἔχοντα πρός τινα τὴν ψυχήν, οἷον εὐμενῆ τὸν βασιλέα πρὸς τοὺς ὑφ' ἑαυτῷ· ᾧ ἐναντίον τὸν δυσμενῆ, τὸν τρέφοντα κακίαν κατά τινος ἐν τῇ ψυχῇ, quæ ſunt, Benignitatem eſſe, miſericordiam & gratiam ſeu beneuolentiam, quæ à maiori ac ſuperiori, minori & inferiori tribuitur: & benignū ab hac nominatum, qui animum erga quempiam beneuolum habeat, ut regem ſubditis benignum eſſe, cui contrarius ſit infenſus ſeu infeſtus, qui odium in aliquem animo concepit. Συγγνώμην uerò Ariſtoteles libro Moralium Nicomachiorum ſexto, eſſe definit γνώμην κρίνουσαν τοῦ ἐπιεικοῦς ὀρθήν, id eſt, ſententiam in iudicio equi & boni rectam. Cæterum & hoc loco pro συγγνωμονικὸν apud Stobæum legitur εὐγνωμονικόν: quod quanquam propemodū idem eſt, noſtram tamen lectionem præferendam cenſeo. Conſequitur

ſequitur autem uirtutem, inquit autor, probitas,
æquitas, integritas & beneuolentia, bona ſpes: quo-
rum probitas quidem, χρηστότης eſt Græcè, quæ ſic
à Speuſippo definitur. χρηστότης ἐστὶν, ἤθους ἀπλα-
σία, μετ᾽ εὐλογίας, ἤθους σπουδαιότης, id eſt, Pro-
bitas eſt ingenij ſimplicitas, coniuncta cum beneficen-
tia, morum integritas: ab alijs uerò, ἡ τοῦ ἀγαθοῦ
ἐπιτήδευσις, quod eſt, boni ſtudium exercitatioq́;.
Eſt autem propriè χρηστός, quæ uox ἀπὸ τῆς χρεί-
ας, ἤγουν χρήσεως, id eſt, uſu ſeu utilitate ducta
eſt, οὗ ἡ ὁμιλία ὠφέλειαν ἐμποιεῖ, quod eſt, cu-
ius conſuetudo & familiaritas utilitatem adfert, eiq́;
φαῦλος opponitur, homo non ſolum iners & inu-
tilis, ſed etiam, quod conuictu ſuo & familiaritate
alios inficiat ac lædat, pernicioſus. Ἐπιείκεια uerò,
id eſt, æquitas, in iuris quadam moderatione, ut ex
Ariſtotele patet, conſiſtit, quam ſic nobis definitam
reliquit Speuſippus. Ἐπιείκειά ἐστιν, ἡ δικαίων καὶ
συμφερόντων ἐλάττωσις, μετριότης ἐν συμβο-
λαίοις, εὐταξία ψυχῆς λογικῆς πρὸς τὰ καλὰ
καὶ αἰσχρά, id eſt, Aequitas eſt iuris utilitatumq́;
remiſsio, in commercijs moderatio, animi ratione
præditi, quantum ad honeſta & turpia pertinet, re-
cta conſtitutio. Εὐγνωμοσύνην autem nunc εὔνοι-
αν, id eſt, beneuolentiam, nunc γνησιότητα, ani-
mi nimirum, integritatem, bonam fidem, incorru-

ptum ſanumq́; iudicium, nõnunquam autem & εὐχαριστίαν interpretantur, quæ eſt animi quædam affe-ctio beneficium fidemq́; bonam agnoſcens. Quæ re-liqua eſt, ſpes bona, quam uim habeat, manifeſtum, quod nimirum futuri boni quædam ſit expectatio. Quæ ſequuntur, Inſuper uerò & eiuſmodi, familia-rium, amicorum, ſodalium amantem eſſe, hoſpita-lem, humanum, honeſti ſtudioſum, quoniam omnia hæc apud Græcos ex uoce τῷ φίλῳ compoſita ſunt, explicato quid ſit φιλία, non difficile erit hæc cogno ſcere. Alcinous itaq; philoſophus in introductione ſua ad Platonis dogmata, ueræ amicitiæ ſic nobis natu-ram deſcribit. φιλία δὲ ἡ μάλιστα καὶ κυρίως λεγο-μένη, οὐκ ἄλλη τίς ἐστι τῆς συνισαμένης κατ᾽ εὔνοι-αν ἀντίστροφον. αὕτη δὲ ἐφίσαται ὅταν ἴσως ἑκάτερος βούληται τὸν πλήσιον καὶ ἑαυτὸν εὖ πράττειν. quod eſt, Amicitia, quæ maximè & po-tiſsimum hoc nomen meretur, non alia fuerit, quam ea, quæ mutua beneuolentia conſtat. Hæc autem tum inuenitur, cum ex æquo uterq; & proximo & ſibi benè eſſe uelit. Sed hoc quidem ſi ſit amicitia, fami-liarium amans erit, qui æquè ipſis atq; ſibi benè ue-lit, & amicorum pari ratione, & ſodalium, & hoſpi-tum. Humanus autem quis dicatur, ſuperius eſt ex-plicatum. φιλοκαλία uerò, unde φιλόκαλος ap-pellatur, ἕξις προαιρετικὴ τῶν βελτίστων, id eſt, ha-

bitus,

bitus, qui in delectu optimorum cernitur, eſſe definitur. Et quæ ad uirtutem quidem à noſtro referuntur autore, hæc ſunt, quæ omnia laudandarum rerum innumero repoſita eſſe aſſerit, id eſt, talia, quæ iure ac merito laudentur. Quibus ea quæ ad uitioſitatem pertinent contraria eſſe inquit, & omnino ipſam contraria quædam ſymptomata comitari: quæ tamen omnia cuiuſmodi ſint, ex iam dictis cognoſci poſſe. Atque hic quidem commentariorum finis eſto. Deinceps uerò ad uirtutum diuiſionem progrediamur.

Tertij & ultlmi Libri

FINIS.

P ACCVRA-

ACCVRATA, ET ARTICVLAtim diſtinctéq; facta uirtutum omnium humani animi diuiſio.

[redacted]

AVTORE.

M*VLTA quidem ueteres præclarè de uirtutibus, potiſſimum autem, quorum ſcripta ad nos peruenerunt, Plato & Ariſtoteles, horumq; compro batores atque æmuli poſteris tradita reliquerunt: multa etiam Stoïci, ſed quorum plurima interciderunt, & quæ ſuperſunt, præter pauca admodum, ex aliorum potius citationibus, quàm illis ipſis autoribus datur cognoſcere. Sed Ariſtoteles quidem nuſquam in ſuis ſcriptis, qua ratione ac uia ex diuiſione omnes animi humani uirtutes producamus, non ſolum apertè docet: ſed uidetur etiam libro Politicorum primo, non ſatis benignè & ſyncerè (dicendum enim quod res*

eſt)

eſt) methodum à Platone in Philebo & Phædro explicatam, in quarto autem de Repub. ad inueſtigandas uirtutum ſpecies adhibitam, labefactare atq; conuellere, eiq; rem rationis expertem, quæq; ſecundæ admodum indigeat fortunæ, ab uſu & experientia factam enumerationem anteponere. Plato autem in ijs, quæ de diuidendi ratione ac uia, deq; uirtutum ſcripſit ſpeciebus, non labitur ille quidem, ſuoq; minus ſatisfacit inſtituto: ſed cum animi humani uirtutũ duo ſint genera prima: alterum quidem, in quo abſolutè ſpectata partis cuiuſq; conſiſtit uirtus: alterum uerò quod in relatione quadam, ſeu ad alterum affectione cernitur, non ſatis hæc ab ipſo animaduerſa aut certè diſtincta eſſe uidentur, quod nimirũ Ariſtoteli ipſius reprehendendi anſam dedit. Quare operæpretium mihi facturus ſum uiſus, ſi Procli imitatus, immo, ut quod uerius eſt dicam, æmulatus induſtriam, in quibus ueteres defeciſſe uiderentur, non ea inſectarer & exagitarem, multo minus, quæ hodie quorundam imprudens eſt conſuetudo, rectè ab ipſis inuenta & inchoata & aliquouſq; etiam perducta, calumniando traducerem: ſed potius, quod moderati ingenij & prudentiæ eſſe iudicat medicorum princeps Hippocrates, quæ apud ipſos, quantũ ad uirtutis diuiſionem pertinet, ſunt ἡμίεργα, nec omni ex parte adhuc abſoluta, quantum noſtræ ſuppetant uires, perficere con-

[redacted]

tenderem: quod ſi minus aſſequor (comprimis enim id arduum intelligo ac difficile) at conatum certè, communiaq́; ſtudia iuuandi uoluntatem non improbandam ſpero, eaq́; fiducia, ne nobis nimis longa ſumatur oratio, ipſum opus aggredior, à uirtutis definitione, quæ in hac methodo principium eſt, exorſus: Cuius hæc in genere ratio eſt & natura, ut tũ ipſum, cuius eſt uirtus, rectè affectum reddat, tum ad opus ſuum benè obeundum, inſtructum & paratum efficiat. Quod cum ex uniuſcuiuſq; naturæ pendeat perfectione, erit utiq; ſecundum hoc uirtus nihil aliud, q̃ uniuſcuiuſque rei naturæ ſumma perfectio. Sed hoc quidem ſi ſit uirtus, patet, quod ſi unum quid ſit homo, eiusq́; anima, & una ipſius fuerit uirtus: ſi uerò plura & non unum, plures etiam ipſius erunt uirtutes, quod diuerſarum rerum diuerſæ ſint perfectiones. Si igitur rectè in commentarijs noſtris in Cebetis tabulam, à nobis ex Platonis ſententia eſt demonſtratum, tripartitam hominis eſſe animam, & aliud quidem in ea, quod rationis: aliud, quod animoſitatis: tertium, quod cupiditatis eſt, eſſe: erunt & tres ipſius, ſecundum partium numerum, uirtutes: & quarta quædam inſuper ipſius totius, tanquam unius rei, ratione. Et tot quidem hoc modo ſimpliciter conſiderantibus nobis, humani animi fuerint uirtutes. Verum enimuerò oportet fortaſſe non tam promptè ac facilè de hoc conſti-

tuiſſe,

fuiſſe, ſed illud prius animaduertiſſe, duplicem eſſe rei uniuſcuiuſq; tum perfectionem, tum actionem: alteram quidem abſolutè & per ſe ſpectatæ: alteram uerò, ſecundum affectionem ad aliud cogitatæ: ut hominis, exempli cauſa, alia quidem actio eſt, & proinde perfectio, quâ homo eſt abſolutè, & quâ dominus, aut ſeruus, maritus, aut uxor, pater aut filius, & ſi quæ aliæ in ipſo conſiderentur affectiones. Neq; enim idem eſt, hominem eſſe, & dominum, aut reliquorum ſecundum affectionem quoduis. Quorum autem eſſe diuerſum eſt, horum & actio & perfectio diuerſa ſit, neceſſe eſt. Cæterum ſic, ut dixi, ſe rem habere, argumento fuerit, quod quotidie uſuuenire uidemus. Nam multos quidem eſt inuenire æquitatis & iuſtitiæ nomine commendatos, quos abſolutè bonos homines appellare ſolemus, qui tamen boni duces exercitus non ſunt. Et econtra bonos duces exercitus, qui mali ſunt homines. Solemus autem unumquodq; ab ea, quæ ipſius abſolutè & per ſe ſpectati eſt uirtus, abſolutè etiam tale appellare: à ſchetica uerò (ſic enim compendij ſermonis gratia eam appellamus, quæ ſecundum affectionem ad aliud cogitati eſt) non abſolutè, ſed cũ adiunctione ſemper, bonum, puta, hunc dominum eſſe dicentes, illum bonum ducem exercitus, alium bonum medicum. Neque enim ſi bonus ſit medicus, ilicò & bonus abſolutè, cum poßit & ma-

lus eſſe homo. Quemadmodum econtra bonus quidem eſſe homo, medicus tamen non bonus. Quare ſi hæc quidem ſic ſe habent, ut certè habere manifeſtum eſt, patet non eandem eſſe rei cuiuſq; per ſe perfectionem, quam abſolutam nominare poſſumus, & ſcheticam, ut nec actionem, nec uim atq; naturam. Quam ob cauſam, cum in homine duplex ſpectetur imperium, quam Græci ἀρχὴν uocant: alterum, quo anima corpori, ut dominus ſeruo, imperat, quod herile appellatur: alterum, quaſi ciuile, quo & ratio animum & cupiditatem, & animus cupiditatem gubernat ac moderatur: erit alia quidem, animæ per ſe conſideratæ uirtus: alia uerò, quâ corporis eſt domina: & corporis itidem, alia quidem per ſe, alia uerò, quâ animæ eſt quaſi ſeruus. Conſimili autem modò & æſtimatricis animæ partis, & animoſæ, & cupidineæ, aliæ abſolutæ ſunt uirtutes, aliæ ſcheticæ. Et illarum quidem, quod quis tamen miretur, exuperantia quædam uituperabilis & reprehendenda eſſe poteſt: harum autem minimè. Cæterum id quod dico, manifeſtius fiet, hoc modo conſiderantibus nobis. Sit igitur aliquis, qui omni ſtudio ſummaq; contentione literarum diſciplinam agitet, quæ, ut inquit Celſus, ut animo præcipuè omnium neceſſaria, ſic corpori inimica eſt. Hic certè, quod id, quod animæ per ſe eſt opus, exerceat, ipſiuſq; perfectioni intentus ſit, manifeſtum eſt. Sed dum cor-

poris

poris robur inquieta cogitatione, nocturnaq́; uigilia non ſolum minuit, ſed etiam labefactat, atq; conuellit, febres in ipſo accendens, fluxionesq́; excitans, neq; boni domini fungitur officio, neq; huius ſcheticæ perfectionis rationem habet. Rurſus *autem econtra ſit, qui totus corporis ſanitati & perfectioni intentus, cuiuſmodi propemodum Galenum in libris de ſanitate tuenda ſubijcere uidemus, animum negligat. Hunc ſanè, non ut animi ſeruum, corpus curare uidemus, ſed ipſius per ſe perfectionem moliri, eoq; reprehendendum, quod hac ratione corpus aduerſus animũ inſtruat. Atq; hoc eſſe uidetur, quod in Timæo reprehendit Plato, exiſtimatq́; tanquam bipartito propoſito ſcopo, utriuſq; habendam eſſe rationem. Id autem eſt, ut non ſolum abſolutis ipſorum perfectionibus, ſed etiam ſcheticis incũbamus. Age igitur uideamus, quæ uniuſcuiuſq; animæ partis tũ abſolutæ, tum ſcheticæ ſint uirtutes, ab ea quæ rationis eſt compos & particeps exorſi. Dicimus igitur, cum rerum conſideratio contemplationisq́; huius per ſe ſit opus, earum exquiſitam cognitionem, quam Græci* σοφίαν, *nos ſapientiã appellamus, eiuſdem eſſe uirtutem abſolutam. Cæterum quoniã, quæ contemplationi ſunt ſubiecta, alia quidem ſunt, ut Græci uocant,* νοητὰ, *alia uerò,* διανοητὰ, *nos, ſi recipitis, illa intelligibilia, hæc cogitabilia nominabimus; adhæc autem & quæ tum*

Δοξαστὰ, tum αἰσθητὰ à Græcis appellantur, id eſt, opinabilia & ſenſibilia, quorũ alia, alia huius partis facultate percipiuntur, intelligibilia nimirũ, intelligentia: cogitabilia, cogitatione: opinabilia, opinione, fit ut una hæc rurſus, quam diximus, ſapientia, in tres ueluti fundatur uirtutes, νοῦν (nam hac uoce, non ſolum animi facultatem nominant, ſed eius etiam perfectionem, unde & νουνεχεῖς, qui hanc ſunt adepti, appellantur) id eſt, intelligentiam, quam conſimili etiam ratione Latini tum pro facultate, cum pro eius abſolutione uſurpare uidentur: ἐπιστήμην, id eſt, ſcientiam, & ὀρθοδοξίαν, id eſt, opinionem rectam. Atq; hæ quidem rationalis animæ partis per ſe ſunt uirtutes: quas hactenus ipſam ſectari cõuenit, ne eorum tamen, quæ ab ipſa regi ac gubernari debent, curam & prouidentiam abijciat. Schetica autem eiuſdem uirtus quæ ſit, ut cognoſcamus, eorum meminiſſe debemus, quæ à nobis libro ſecundo commentariorum in Cebetis tabulam, de trium animæ partium ad ſe mutuo affectione, ſunt dicta. Cum igitur, ut ex ijs patet, hæc imperantis tantum, ſecundum naturam in nobis locum obtineat, atq; ea quidem ratione, qua in Repub. ſenator, qui conſilijs Remp. regit, erit nimirum eius, quam ſecundum affectionem ad alias partes obtinet, uirtus, prudentia: qua tum ſibi, tum alijs modum agendorum præſcribat. Et quatenus ab hoc officio nimis

magno ſtudio,multaq́; opera,in rerum contemplatione conferenda,abduci non debet,etiam moderatio & temperantia quædam. Sed ipſius quidem prudentiæ, duæ ſunt ſpecies. Altera quidem εὐβουλία, *quæ à nonnullis hoc modo definitur,* ἐπιστήμη τοῦ σκοπεῖσθαι τίνα καὶ πῶς πράττοντες, πράξομεν συμφερόντως, *id eſt. Scientia conſiderandi,quæ,& quomodo agentes, utiliter agamus, ſcientiæ hoc loco nomine pro cognitione uſurpantibus: quam nobis Heſiodus his carminibus deſcribit.*

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ
φρασσάμενος, τά κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω.

quæ ſunt,

Optimus ille quidem fuerit, qui prouidus ipſe
Omnia perpendet, quæ deinde & poſt meliora.

Dicitur aũt hæc, alia quidem abſolutè ſimpliciterq́;, quæ moralis quædam & ciuilis eſt uirtus:alia uerò cũ adiunctione, ſub qua noſtris uſibus & neceßitatibus inſeruientes continentur artes. Et hæc quidem una prudentiæ eſt ſpecies,qua tum nobis, tum alijs rectè conſulere poſſumus. Videtur autem hæc τῆς διανοίας πρακτικῆς τε καὶ ποιητικῆς ὀρθότης τις εἶναι, ὥσπερ ἡ ἐπιστήμη τῆς θεωρητικῆς, *id eſt, cogitationis actiuæ & effectiuæ rectitudo quæpiam eſſe, ut ſcientia contemplatiuæ. Altera uerò, quam Græci* σύνεσιν *nominant, Latini, ut arbitror, nũc intellectionem, nunc in-*

[redacted]

telligentiam, non illa, qua ſuperius hac uoce ſumus uſi, ſignificatione, ſed alia quadā. Eſt autem σύνεσις, ut ex iis quæ ſexto Moralium ad Nicomachū libro, de hac ab Ariſtotele diſſeruntur, eſt intelligere, εὐπαρακολούθησίς τις λογισμοῦ ἤτοι δόξης, εἰς τὸ καλῶς τὰ ὑπ' ἄλλου ὑποτεθέντα ἐκλαμβάνειν τε καὶ κρίνειν. id eſt, rationis ſeu opinionis conſectatio quædam facilis, ad bene, quæ ab alio ſunt ſubiecta, excipienda & diiudicanda. Inquit igitur de ea diſſerens hoc modo, ἔστι δ' οὔτε τὸ ἔχειν τὴν φρόνησιν, οὔτε τὸ λαμβάνειν ἡ σύνεσις· ἀλλ' ὥσπερ τὸ μανθάνειν λέγεται συνιέναι, ὅταν χρῆται τῇ ἐπιστήμῃ, οὕτως ἐν τῷ χρῆσθαι τῇ δόξῃ ἐπὶ τὸ κρίνειν περὶ τούτων, περὶ ὧν ἡ φρόνησίς ἐστιν, ἄλλου λέγοντος, καὶ κρίνειν καλῶς. τὸ γὰρ εὖ, τῷ καλῶς ταὐτὸ, καὶ ἐντεῦθεν ἐλήλυθε τοὔνομα ἡ σύνεσις, καθ' ἣν εὐσύνετοι, ἐκ τῆς ἐν τῷ μανθάνειν. λέγομεν γὰρ τὸ μανθάνειν, συνιέναι πολλάκις. id eſt, Eſt aūt nec habere, nec comparare prudentiā, intelligentia: ſed ut percipere dicitur intelligere, cū ſcientia quis utitur, ſic in utēda opinione ad iudicandū de his, in quibus uerſatur prudentia, alio dicente, & bene iudicandum, cernitur intelligentia. Nam rectè & bene idem eſt. Atq; hinc adeò nomen σύνεσις ortum habet, unde εὐσύνετοι dicuntur, ab ea συνέσει, id eſt, congreſsione ſeu cū altero itione, quæ in percipiendo conſiſtit. Dicimus enim percipere, intelligere nō rarò. Cæte

rum

rum ut εὐβουλία cogitationis actiuæ, ita & hæc opinionis, quæ in rebus agendis & ipſa uerſatur, eſt uirtus, quam rurſus nobis Heſiodus hoc uerſu expreßit:

Ἐσθλὸς δ᾽ αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.

id eſt,

Rurſus & ille bonus, ſequitur qui recta monentē.

Neq; enim aliud, non quæ uulgo dicitur, ſed uera eſt εὐπείθεια, quam σύνεσις, ut quæ non temerè, ſed aliquo omnino iudicio, recta monentē, tanq̃ præeuntem ſequitur. Atq; hæ quidem duæ ſunt prudentiæ ſpecies, quas & Heſiodus conſpexiſſe uidetur, & poſteris cōmonſtráſſe: Et Plato deinceps & Ariſtoteles, aliiq́; horum æmuli atq; imitatores recepiſſe approbaſſeq́;. Sed uidetur ratio & conuenientia omnino poſtulare, ut nō duas tantum, ſed tres & huius ſpecies faciamus, ut ſapientiæ: quod nō minus νοῦς πρακτικός, id eſt, mens actiua, & apud Philoſophos ueteres nominata inueniatur, & reuera etiam, ſi quid ego iudico, ſit, quàm cogitatio & opinio. Quamnam igitur & huius uirtutem eſſe dicemus? An ſcilicet eam, quam communiori uocabulo εὐστοχίαν, magis autem proprio ἀγχίνοιαν Græci uocant? Nam ut omittam, quod nominis huius proximioris, id cōpoſitio & etymologia indicare omnino uideatur, etiã manifeſtè id Stoïcorũ, à Platonis & Ariſtotelis ſententia hîc minimè diſsidentiũ, definitio commonſtrat, quæ huiuſmodi eſt. Ἀγχίνοια δ᾽ ἐστιν

ἕξις

ἕξις εὑρετικὴ τοῦ καθήκοντος ἐκ τοῦ παραχρῆμα, id eſt, ſolertia eſt habitus inuentiuus ex tempore, eius quod conuenit: quæ certè mea ſententia, definitio, id ſignificare uidetur, quod ſolertia ſit mentis quædam in rebus agendis coniecturæ dexteritas, quam Græci εὐστοχίαν nominant, in temporis quaſi momento, quod ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ dicit Ariſtoteles, citra omnem ratiocinationem & cogitationem. Verũ hoc quidem ſi recipimus, & duabus præcedentibus hanc tertiam prudentiæ ſpeciem adijcimus, erit nimirum, ut ibi ab ὀρθοδοξίᾳ ad ſcientiã, & ab hac ad intelligentiã progreßio: ita & hîc à συνέσει ad εὐβουλίαν, & ab hac ad ſolertiam, tanquam ſummam quandã & præſtantißimã uirtutem. Atq; earum quidem rationalis animæ partis facultatum, quæ cognitionis ſunt, eæ ſunt, quas diximus, tum perfectiones, tum uirtutes. Quoniam autem eiuſdem & aliæ etiã ſunt facultates, quæ in appetitu poſitæ ſunt, ut alibi ex Peripateticorum ſententia tradidimus, βούλησις nimirum & προαίρεσις, non immerito dubitauerit aliquis, ſint ne & harũ quædam perfectiones & uirtutes. Nam ſi nullas quis eſſe dixerit, abſurdum ſanè uideatur, earũ, quæ ratione caret, animæ partiũ appetitus, ſuas habere & proprias abſolutiones: horum autem, quæ rationis ſunt compotis partis, uirtutes nullas exiſtere, maximeq; cum ex uoluntatis quidem, quæ ipſius finis eſſe potißimũ ab Ari

ſtotele

ſtotele ſtatuitur, rectitudine, tanq̃ fundamento quãpiam, aliarum non minimè facultatum perfectio pendeat: electione aũt magis, quàm actione mores diiudicentur. Si uerò rurſus & harum aliquas facultatum uirtutes eſſe ſtatuerimus, quænam illæ ſint, inuenire difficile uidetur, quod à ueteribus nihil de his ſcriptũ inueniamus. An uerò, non ita ſe res habet, ſed προαιρέσεως *quidem uirtutem, apud Ariſtotelem libro Moralium ad* Nicomachum *ſexto, deſcriptam his uerbis habemus?* ἔστι δ' ὅπερ ἐν τῇ διανοίᾳ κατάφασις καὶ ἀπόφασις, τοῦτ' ἐν ὀρέξει δίωξις καὶ φυγή. ὥστ' ἐπειδὴ ἡ ἠθικὴ ἀρετὴ, ἕξις προαιρετικὴ, ἡ δὲ προαίρεσις ὄρεξις βουλευτικὴ, δεῖ διὰ ταῦτα τόν τε λόγον ἀληθῆ εἶναι, καὶ τὴν ὄρεξιν ὀρθὴν, εἴπερ ἡ προαίρεσις σπουδαία, καὶ τὰ αὐτὰ, τὸν μὲν φάναι, τὴν δὲ διώκειν, *id eſt, Eſt autem, quod in cogitatione affirmatio & negatio, hoc in appetitu conſectatio & fuga. Quare cũ moralis uirtus, habitus ſit electiuus: electio autem, appetitus deliberatiuus: oportet ob hoc, tum rationem ueram eſſe, tum appetitum rectum, ſi proba ſit futura electio, eademq́; illã quidem cenſere, hunc uerò conſectari. Ex quibus Ariſtotelis uerbis patet, ut compoſita eſt quædam hæc animi facultas ex ratione & appetitu, ita & eiuſdem uirtutem compoſitã eſſe, ex prudentia, quæ imperatoria quædam eſt uirtus, & frugalitate ac modeſtia, quam ſubditi eſſe, in ſequentibus docebimus:*

cebimus: quarum illam quidem, διανοητικήν, id eſt cogitatiuam, quæ plurimũ ex doctrina tum ortũ, tum incrementum habet: hanc ἠθικήν, ὡς δὴ ἐξ ἔθους περιγενομένην, id eſt, moralem, ut quæ ex conſuetudine adueniat, appellare ſolet Ariſtoteles. Ipſius aũt uoluntatis perfectionem, quam tandem aliam ſtatuerimus, quàm ſtudium quoddam & amorem eius, ad quod, rationalis animæ partis occaſione, conciliationem naturalem obtinemus. Id autem fuerit honeſtas ipſa, ut in commentarijs noſtris in Cebetis tabulam eſt traditũ. Cæterum apud Græcos hæc φιλοκαλία appellatur, cum qua aut eadem eſt, aut non multum certè diuerſa, quam καλοκαγαθίαν ijdem nominant, eſſeq; definit Speuſippus, ἕξιν προαιρετικὴν τῶν βελτίστων, id eſt, habitum electiuum optimorũ. Quod ſi quis hanc non uoluntatis, ſed electionis potius, definitionis occaſione, eſſe contendat, loquor autem de poſteriore, καλοκαγαθίᾳ nimirum, is ſciat, reuera quidem ex utriuſq; facultatis perfectione, coniunctam quandam & compoſitam eſſe uirtutem: & τοῦ καλοῦ quidem ratione ad βούλησιν pertinere: τοῦ ἀγαθοῦ autem, quod idem, ac ſi τοῦ συμφέροντος quis dixerit, ad προαίρεσιν. Sed his quidem æſtimatricis animæ partis facultatum uirtutibus explicatis, proximum eſt, ut ad animoſam tranſeamus, & quænam ſint & huius perfectiones conſideremus. Eſt igitur, ut huius per ſe opus,

robuſtam ſe & ualentem planeq; inuictam præſtare, ita & eiuſdem per ſe uirtus, naturalis quædam fortitudo, omne quod obſtat pulſans, omnia profligans, ac proſternens, ſibiq; potenter atq; uiolenter ſubijciens. Atq; hoc quidem cum facit, quæ naturæ ſuæ conueniens eſt, facit. Eſt enim ipſius, confligere quidem opus, uincere autem finis: Sed ſcheticæ tamen uirtutis, quæ duplex ipſi eſt, rationem nullam habet. Nam cum media ſit hæc animi pars inter primam illam, quæ rationis eſt particeps, & tertiam, quæ cupiditatis eſt, ad illam quidem ſubditi locum obtinet: hanc uerò imperantis. Quare & uirtus quæpiam ipſi adſit oportet, ſecundum quam, rationis compoti parti rectè obſequatur, eiq; dicto audiēs ſit: hæc autem fuerit, quam Græci σωφροσύνην, Latini nunc frugalitatem, nunc modeſtiam, interdum & temperantiam nominant: & alia rurſus, quæ cupidineam gubernet & regat, quam ἀνδρείαν Græci, nos fortitudinem dicimus: quæ imperatoria quædam eſt uirtus, non illo ſanè genere, quo prudentia, quæ cognitionis ui, & iudicio ſubiectis partibus præeſt: ſed alio quopiam, appetitionis nimirum facultate, qua compeſcere quidem inferiorem animæ partem, & in officio continere: externam autem uim propulſare, & ab iniuria defendere, quorum propugnatio ad ipſam pertinet, ualeat. Sed hæc ipſa, & alia ſubijcienda facilius fortaſſe aſſequemur, ſi

Socra-

Socratem, in ſecundo de Repub. *libro apud* Platonem *imitati, quæ hîc minoribus ueluti literis ſcripta, & proinde obſcuriora, non ſatis commodè à nobis perſpici poſſunt, in* Repub. *inſignioribus characteribus expreſſa, prius cognoſcere conemur.* Nam *ut in anima tres ſunt, quas diximus, animæ partes, ea ratione ea ſe mutuo affectæ, ita & in* Repub. *totidem, cum eadem etiam ad ſe mutuo relatione: de quibus* Hippodamus *Pythagoræus in opere de* Repub. *hoc modo diſſerit,* φαμὶ δ' ἐγὼ εἰς μοίρας τρεῖς διεστᾶσθαι τὰν σύμπασαν πολιτείαν· καὶ μίαν μὲν εἶναι μοῖραν, τῶν ἀγαθῶν κυβερνόντων τὰ κοινά· δευτέραν δὲ, τῶν δυνάμιος· τρίταν δὲ, τῶν ἐκπλαρώσει, καὶ χορηγίᾳ τῶν ἀναγκαίων. ὀνομάνω δὲ τὸ μὲν πρῶτον πλᾶθος, βουλευτικὸν· τὸ δὲ δεύτερον ἐπίκουρον· τὸ δὲ τρίτον, βάναυσον. καὶ τὰ μὲν αὐτῶν, ἐλευθέραν βιοτὰν ἐχόντων οἰκῆα φαμὶ εἶμεν. τὸ δὲ τρίτον, τῶν βιοπόνων. καὶ τὸ μὲν βουλευτικὸν, ἄριστον εἶμεν· τὸ δὲ βάναυσον, χερήϊον· τὸ δ' ἐπίκουρον, μέσον. καὶ τὸ μὲν βουλευτικὸν, ἄρχεν δεῖ· τὸ δὲ βάναυσον, ἄρχεσθαι· τὸ δ' ἐπίκουρον, καὶ ἄρχεν καὶ ἄρχεσθαι. τὸ μὲν γὰρ, καὶ τί δεῖ πράττειν προβουλεύει· τὸ δὲ, τὸ ἐπιταχθὲν ἐπιτελεῖ· τὸ δ' ἐπίκουρον, τὼς μὲν προπολεμεῖν, ἄρχει τῶ βαναύσω παντός· τὼς δὲ προβουλεύεσθαι ἄρχεται. *id eſt,* Ego *uerò dico uniuerſam* Rempub. *in tres partes eſſe diductam.*

ductam. Et unam quidem eſſe, bonorum qui publica & communia gubernant: alteram, eorũ qui poteſtate præditi ſunt: tertiam, qui expletioni, & neceſſariorum ſuppeditationi incumbunt. Nomino autem, primum quidem cœtum, ſenatorium: ſecundũ uerò, auxiliarium: tertium autem, operarium. Et illos quidem, ijs conuenire, qui liberam uitam colere poſſunt: tertium autem, qui laboribus uictum quærunt. Ac ſenatorium quidem, optimum eſſe: operarium deteriorem: auxiliarium medium. Et ſenatorium quidem imperare oportet: operarium uerò, parêre: auxiliarium autem, tum imperare, tum parêre. Nam ille quidem, quid ſit agendum proſpicit, atq; conſulit: hic uerò, iniunctum ſibi munus exequitur: auxiliarius autem, quatenus quidem propugnatorem agit, uniuerſo operario cœtui imperat, quatenus autem ex alieno conſilio ac ſententia pendet, regitur ac paret. Et hæc quidem Hippodami de Reipub. diuiſione eſt ſententia, et de partium eius ad ſe mutuo affectione. Quem etiam Plato in ſuis de Repub. libris ſequitur, & unicuique parti propriam & conuenientem uirtutem tribuit: Senatorio quidem ordini, qui multitudine quidem, longè minima in Repub. eſt portio: ui autem & poteſtate, maxima, prudentiam, quà publici conſilij autor, & Reipub. rector eſſe poſsit. Eſt enim huius imperare tantum. Operario autem (quem θητικὸν, id eſt, mer-

cenarium uocat, qui contraria ratione, atq; prior ille affectus eſt, quod numero quidem maxima, ui autem & poteſtate, minima Reipub.*ſit pars, quod* χερνήο-νον *uoce nobis ſignificauit* Hippodamus, *ut prius illud & contrarium,* τῷ ἀρίστου) *temperantiam & modeſtiam, cū huius parere ſit tantum. Cæterum medio cœtui & auxiliario, qui priori quidem parêre, poſteriori autem imperare debet, quiq; mediam quandam affectionem obtinet, ut quantum quidem à priori poteſtate ſuperetur, tantum poſteriorem eâdem uincat: quantum uerò rurſus priore ſit numero ſuperior, tantum poſteriore inferior, tum temperantiam, tum fortitudinem: illam quidem ſubditi uirtutem, hanc uerò imperantis: cuius quæ uis ſit & ratio, ut commodius oſtenderemus, hæc à nobis ſunt adducta.* Diximus itaque *ſuperius hanc imperatoriam animoſæ partis eſſe uirtutem, non tamen eodem genere, quo prudentia æſtimatricis, quod hæc in cognitionis & iudicij ui appetitum moderantis, illa in appetitus facultate, quæ ſibi ſubditum appetitum gubernat, cōſiſtat.* Vocetur *itaq; illa uirtus ſenatoria, ſeu conſultrix, ſeu deliberatiua, quod utilitatum oportunitatumq; omnium ſit prouida: hæc uerò auxiliatoria & propugnatrix, aut etiam, ut uniuerſam eius naturam magis exprimamus, bellica: quæ cuiuſmodi ſit, primum in* Repub.*conſideremus.* Cum *igitur duo ſint belli genera, ut libro de*

Legi-

Legibus primo, Athenienſis inquit hoſpes: alterum quidem, inteſtinum, quod ciuile appellatur, itemq́; ſeditio, quo ipſi inter ſe ciues diſsidem atq; diſcordant, quod omnium bellorum teterrimum eſt, & periculoſiſsimum: alterum externum, quo cum externo hoſte confligimus, quod priori multo eſt mitius: oportet ſanè eos, quos auxiliarios & propugnatores eſſe diximus, in utroq; genere, Reipub. adeſſe: & ſeditioſos quidem ciues & turbulentos comprimere, & ſontes punire: Rempub. autem ab externa ui defendere, hoſtesq́; propulſare: & ad utrunq; ea uirtute uti, quæ confidentiæ & timoris mediocritas quædam eſt, appellaturq́;, ut diximus, fortitudo. Cæterum quoniam cum hac neceſſario coniungitur ea animoſæ partis operatio, quam libro cõmentariorum in Cebetis tabulam ſecundo, ipſius ſecundum affectionem eſſe diximus, uocaturq́; à Græcis, modo θυμὸς, modo ὀργὴ, id eſt, excandeſcentia & ira, quanquam hæc à Stoïcis, qui in omnibus ſunt curioſiores, diſtinguantur, à Platone certè, Ariſtotele & Peripateticis, quod ex definitione ſubijcienda patet, pro eodem non rarò uſurpantur: eſt enim ira innati caloris feruor, ex deſiderio ulciſcendi eius: qui iniuriam feciſſe uidetur, orta, quam Plutarchi Gryllus, ex Peripateticorum nimirum ſententia, τῆς ἀνδρείας οἷον βαφὴν τινα καὶ ςόμωμα appellat; Plato certè ſine hac animum tum

ad pugnandum generoſè cum ijs, quibus cum confligere oportet, tum ad ſumendum de ijs ſupplicium, qui puniendi uidentur, imbecillum & inualidum aſſerit: erit nimirum huius ipſius occaſione, & alia quæpiam eius animæ partis uirtus, iræ inquam moderatrix, quam Græci communi nomine πραότητα nominant, id eſt, lenitatem. Eſt autem hæc gemina, quod alia lenitate aduerſus hoſtes, alia aduerſus ciues utendum ſit, uideturq; hæc proprium etiam nomen apud Græcos ſortita, & ἐυμένεια ab ijs appellata, apud quos τὸ μένος, ἄντι τοῦ θυμοῦ τε καὶ ὀργῆς nonnunquam accipitur: niſi quis fortè contendat, hanc potius erga bonum & frugi ciuem animi eſſe affectionem: cum quo, ut non admodum contenderim, ita tamen meminiſſe ipſum uelim, nullum præfectum ſubdito Δυσμενῆ eſſe debere, ſed perinde erga ipſum affectum eſſe, ut erga ægrotantem medicus. Quare, ut hîc, cum etiam urit & ſecat, ἐυμενὴς nihilominus eſt, ita & in Repub. qui in ciues delinquentes animaduertere debent, ab hac animi affectione minimè recedere oportet. Videtur autem hæc Latinis tum clementia, tum benignitas appellari. Nam quæ beneuolentia eiſdem dicitur, æſtimatricis potius animæ partis laudabilis eſt affectio, ad uoluntatem annominata: cui tres apud Græcos uoces reſpondent, non ἐκ τῆς βουλήσεως nomine compoſitæ, ſed ex ijs quæ eam huc impellunt & mouent;

mouent, εὔνοια, εὐγνωμοσύνη, quæ ἀπὸ τῆς γνώμης, εὐβουλίας nimirum concluſione, appellatur, & εὐδοκία. Sed ut ad propoſitum reuertamur, Cuiuſmodi hæ in Repub. lenitatis ſint ſpecies, diligentius conſideremus. Eſt igitur lenitas, iræ, ut dictum eſt, uirtus moderatrix. Eius autem altera ſpecies, quam nunc εὐμένειαν, id eſt, benignitatem ſeu clementiam ut appellemus, qui in nominibus curioſiores ſunt, concedant, in delinquentes ciues animaduertendi moderatio quædam eſt. Altera uerò, qua in hoſtis ulciſcendi deſiderium propendentem iram refrenamus, nec apud Græcos, nec apud Latinos, quod ſciam, proprium nomen ſortita eſt. Vocetur autem, quo ab altera diſcernatur, humanitas, quo fortaſſe non malè nomine appelletur. Cæterum uidetür duas potiſſimum ob cauſas, & hæc uirtus neceſſaria, tũ quod dum nimis auidè in hoſtes inuadimus, non tam periculum & iniuriam à nobis propulſamus, quàm noſtras conſceleramus manus, non animaduertentes, quod etſi non eiuſdem ciuitatis ſocietate cum ipſis ſumus coniuncti, tamen indiuidua ſpeciei & rationis, quam quaſi Dei imaginem circumferimus, à primo parente ductæ cognationis, naturalis item & iuris gentium communione & his conſociati ſimus: tum quod belli alioqui naturam uiolantes, quo nihil aliud, ut rectè cenſet Cicero, niſi pax quæſita uideri debet, & plurimum nobis ipſis incom-

modemus, & iucundiſsimo quietis & tranquillitatis fructu, omnibus maximè exoptando noſmet ſpoliemus. Et eius quidem Reipub. ordinis, quem ἐπίκουρον, *id eſt, auxiliarium, appellari diximus, hæ ſunt uirtutes: quas ad animoſam animæ partem nunc tranſferre, haud difficile fuerit. Nam & hæc fortitudine indiget, qua tum inteſtinum & quaſi domeſticum bellum extinguere, ac cupiditatem, rationi & ſuperioribus appetitionibus repugnantem, comprimere ac conſtringere poſsit: tum totam animam, immo hominem potius, tanquam Rempub. ab externis iniurijs defendere, infeſtaq; omnia depellere & diſsipare. Indiget autem & lenitate, propter eam, quam diximus, ipſius ſecundũ affectionem, operationem, id eſt, iram, & utraq; ſanè eius ſpecie. Neq; enim excindenda eſt cupidinea animæ pars: ſed ſubigenda potius, & ſub imperium rationis ditionemq; ſubiungenda: neq; ſic in aduerſa infeſtaq; ipſi inuadendum, ut nulla, quæ ipſius uniuerſi, eiusq; legis ratione, cum rebus omnibus ei coniunctio eſt naturalis, habita ratione, cuncta diſturbet ac diſsipet: aut etiam, quo omnia referri oportet, animi tranquillitatem & ſecuritatẽ, idem autem eſt, ac ſi uitam beatam dixerim, impediat. Quare has, quas diximus ipſius eſſe uirtutes, manifeſtè conſtat. Quæ cùm ſatis iam explicatæ uideantur, ſupereſt, ut & tertiæ & cupidineæ, quæ ſint perfectiones*

ſectiones inueſtigemus. Cum igitur hæc ſubditi tantum in anima rationem ſuſtineat, ea etiam tantum uirtus ipſi conueniat, quæ ſubditi eſt. Cæterum hæc ipſi duplex eſt. Nam cum, ut libro quarto commentariorum in Cebetis tabulam dictum eſt, duplices appetitus habeat, alteros quidem, eius corporis ratione, in quo conſiſtit: alteros uerò, eius, quo id conſeruetur, manifeſtum eſt, hanc tum ἀπολαυστικὴν, *tum* ποριστικὴν *eſſe: quod etiam ex eo cognoſci poteſt Reipub. ordine, quem Hippodamus* βάναυσον, *Plato* θητικὸν *nominat. Is enim ipſi proportione reſpondet. Itaq; ut* ἀπολαυστικῇ, *id eſt, ut ſic dicam, fruitoriæ, frugalitas & temperantia, quæ in moderandis cupiditatibus, & corporeis, inutilibus & noxijs uoluptatibus prætermittendis cernitur, ipſi conuenit: ut uerò,* ποριστικῇ, *id eſt, quæſtuoſæ, ea, particularis iuſtitia, quæ uirtus quædam eſt, & mediocritas inter eam, quam Græci* πλεονεξίαν *uocant, quæ immodica quædam pecuniæ auiditas eſt; & quam ijdem* μειονεξίαν *nominant, uitium nimirum iam dicto contrarium. Atenim quoniam quæſitum omne, non ad hoc quæri uidetur, ut habeatur ſolum, ſed propter uſum omnino aliquem, ad quem niſi accommodetur, inanis & ſuperuacanea hæc acquirendi cupiditas ſit neceſſe eſt, nominiq; adeò uim amittant oportet, quæ Græcis* χρήματα *ab uſu, aut utilitate, quam ad ui-*

 tam

tam degendam præſtat, dicuntur, meo certè indicio, hæc ſeu facultas, ſeu cupiditas, ſeu appetitio, quæ circa id uerſatur, quod corporis neceſſitatibus & uſibus inſeruit, aut duplex ſtatuatur neceſſe eſt, aut, quod magis mihi probatur, tertia quæpiam cupidineæ tribuatur parti, quam ſeu δαπανητικὴν, *ſeu* ταμιευτικὴν *quis appellare uelit, de nomine non laboro; erit autem hæc facultas quædam ſeu affectio ſumptus faciendi, cuius uirtus eſt liberalitas, non illa quidem* πολιτικὰ, *quæ ad alium eſt, ſed quædam ipſi* ἀναλογίᾳ *reſpondens, quæ intra animum abſoluitur, proximeq́; illi coniuncta eſt, cuius modo meminimus iuſtitiæ, atq; adeò media quodam modo inter temperantiam & iuſtitiam intercedit. Quemadmodum & ipſa* ταμιευτικὴ *inter* ἀπολαυστικὴν *&* ποριστικὴν: *unde nonnunquam* αὐτάρκειαν *ipſam nominant: quæ tamen non ſimplex eſt uirtus, ſed ex frugalitate & iuſtitia coniuncta, aut fortaſſe & hac tertia. Atq; hæ quidem animæ partium, quæq́; in his ſunt, facultatum perfectiones ſunt ac uirtutes, ad quas ſequitur ea quæ uniuerſalis iuſtitia appellatur: quæ eſt, ut inquit Theages,* σύνταγμά τι τᾶς ἁρμογᾶς τῶν μερέων τᾶς ψυχᾶς, καὶ ἀρετὰ τελεία καὶ παντυπερτάτα, *id eſt, coniunctio concentus animæ partium, & uirtus perfecta atq; ſuprema. Quam ſanè obſcuriorem definitionem mihi aliquo modo ex-*

plicaſſe


plicaſſe uidetur, partim quidem Plato libro de Repu. quarto, partim uerò Ariſtoteles libro quinto Moralium ad Nicomachum. Nam quomodo coniunctio, ſeu potius conciliatio concentus animæ partium eſſe dicatur, his uerbis oſtendit Plato. Τὸ δέ γε ἀληθές, τοιοῦτον μέν τι ἦν, ὡς ἔοικεν, ἡ δικαιοσύνη· ἀλλ' οὐ περὶ τὴν ἔξω πρᾶξιν τῶν αὐτοῦ, ἀλλὰ περὶ τὴν ἐντὸς ὡς ἀληθῶς περὶ ἑαυτὸν καὶ τὰ ἑαυτοῦ, μὴ ἐάσαντα τὰ ἀλλότρια πράττειν ἕκαστον ἐν αὐτῷ, μηδὲ πολυπραγμονεῖν πρὸς ἄλληλα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ γένη· ἀλλὰ τῷ ὄντι τὰ οἰκεῖα εὖ θέμενον, καὶ ἄρξαντα αὐτὸν αὐτοῦ, καὶ κοσμήσαντα, καὶ φίλον γενόμενον ἑαυτῷ, καὶ ξυναρμόσαντα τρία ὄντα, ὥσπερ ὅρους τρεῖς ἁρμονίας ἀτεχνῶς, νεάτης τε καὶ ὑπάτης καὶ μέσης, καὶ εἰ ἄλλα ἄττα μεταξὺ τυγχάνει ὄντα, πάντα ξυνδήσαντα, καὶ παντάπασιν ἕνα γενόμενον ἐκ πολλῶν σώφρονα καὶ ἡρμοσμένον, οὕτω δὴ πράττειν ἐάν τι πράττῃ, ἢ περὶ χρημάτων κτῆσιν, ἢ περὶ σώματος θεραπείαν, ἢ καὶ περὶ πολιτικόν τι, ἢ περὶ τὰ ἴδια ξυμβόλαια, ἐν πᾶσι τούτοις ἡγούμενον καὶ ὀνομάζοντα δικαίαν μὲν καὶ καλὴν πρᾶξιν, ἣ ἂν ταύτην τὴν ἕξιν σώζῃ τε καὶ ἀπεργάσηται· σοφίαν δὲ τὴν ἐπιστατοῦσαν ταύτῃ τῇ πράξει ἐπιστήμην, quæ ſunt. Cæterum reuera huiuſmodi certè quid, ut uidetur, iuſtitia eſt: ſed non in actione externa conſiſtens, ſed interna, & re-

uera in ipſo adeò, quæq; ad ipſum pertinent, unamquanq; ſui partem aliena negotia agere non permittentem, neq; quæ in anima ſunt genera curioſitate ſibi mutuo moleſta eſſe: ſed reipſa, ſua rectè componentem, & ſibi ipſum imperantem, & ſe moderantem, ac ſibi amicum redditum, coniungentemq; & coagmentantem hæc genera, quæ tria ſunt, tanquam harmoniæ tres terminos ſedulò, neates, hypates & meſes, & ſi quæ alia inter hæc intermedia ſunt, omnia hæc connectentem, & prorſus ex multis unum effectum, modeſtum & compoſitum, ſic iam ad agendum accedere, ſi quid agendum ſit, aut in comparandis opibus, aut curando corpore, aut etiam publicis negotijs, aut priuatis commercijs, in omnibus his exiſtimantem ac nominantem iuſtam quidem & honeſtam actionem, quæ hunc habitum conſeruet ſimulq; efficiat: ſapientiam autem eam, quæ huic actioni præſit ſcientiam. Ex quibus Platonis uerbis conſtat, iuſtitiam hanc, qua de nunc agimus, eſſe uim quandam ac uirtutem totius animæ, qua fit, ut quælibet pars in ſuum & proprium opus intenta, aliena, quæq; ad ipſam minimè attinent, nõ curet, quam Græci affectionem ἰδιοπραγίαν uocant, ita tamen ut alijs imperantium, alijs ſubditorum locũ obtinentibus, omnia ſibi mutuo congruant, non ſecus ac in cantu fit & fidibus. Nam tu hic quælibet ſuum & proprium edit ſonum, ex quo-

rum inter ſe mutuo conuenientia, ſymphonia quædam & harmonia efficitur, unuſq; ex multis ueluti contemperatus ſonus, moderatione quadam & æquabilitate iucundus, dum ſonorum alij ſua grauitate ueluti imperant, hypates nomen inde ſortiti, alij contrà ſuo acumine parent, quæ netæ itemq; neatè, quaſi poſtremi & infimi, à Græcis uocantur, alij uerò inter hos medij, & proinde μέσαι φωναὶ à Græcis dicti, ſua quadam mediocritate tum parent, tum imperant, grauioribus quidem parentes, acutioribus autem imperantes: ita & animæ partium quæuis dum ſuo rectè fungitur munere, & quæ rationis quidem eſt particeps, prudentia imperat, quæ uerò cupiditatis eſt, temperantia paret, animoſa autem, altera quidem ſua uirtute, ſuperiori paret, altera uerò, inferiori imperat, quidam quaſi concentus conſenſuſq; in anima oritur, ex quo multæ quidem hæ partes in unius animæ compoſitionem, ut ſic dicam, coagmentationemq; coaleſcant, multæ autem harum actiones & uirtutes in unius laudabilis actionis modum, unius reliquas omnes continentis perfectæ uirtutis naturam & rationem conſpirent, ac ueluti conſonent, atq; ſic homo totus compoſitus, modeſtus & iuſtus reddatur. Cæterùm quænam ſit iſta ſymphonia, qui harmonici logi, de quibus hic loquitur Plato (neq; enim id omittendum arbitror) breuiter hoc loco ſubijciemus. Cum igitur,

tres

tres ſint animæ partes,ut ſuperius iam dictum eſt, inter æſtimatricem quidem & animoſam, earumq; uirtutes, ſymphonia quidem διὰ πέντε intercedit: harmonica uerò ratio, quam Græci ἡμιόλιον, Latini ſeſquialteram nominant,cuiuſmodi eſt inter 2. & 3. Inter animoſam autem & cupidineam, & harum perfectiones, ſymphonia διὰ τεσσάρων, ἐπίτριτος uerò,id eſt, ſeſquitertia, ſeu ratio, ſeu proportio, qualis inter 3. & 4. cernitur. Et ſic ex tribus iſtis terminis efficitur contentus, quem διὰ πασῶν nominant, qui dupla conſtat proportione, ut ex hac figura ſpectare licet.



Neq; uerò hoc ſolum in hac figura animaduertendum exiſtimo, ſed etiam illud non minus, quod perfectior

quidem

quidem inter æſtimatricem animæ partem & animoſam ſit ſymphonia, quàm inter hanc & cupidineam, quamuis interuallo tamen maiori diſtent. Eſt enim in ſeſquialtera proportione, dimidij: in ſeſquitertia, tertiæ partis interuallum. Eoq́; fieri arbitrantur, quod, etſi animoſa pars cupidinæ magis ſit cognata, quàm rationi (ambo enim ex corpore, eiusq́; temperamento ortum habent, ratio autem diuinioris eſt originis: ambo mortalia, quæq́; ſimul ſint, ſimulq́; intereant, ratio immortalis: ambo cognitionis expertia, ratio uerò eius ui prædita) tamen, cùm illa inter ſe diſsident & pugnant, nunquam cum ea, cui magis cognata eſt, cupidinea nimirum, ſeſe conſociet & coniungat, ſed ſemper pro ratione, cum qua concentum perfectiorem ſeruat, ſtet. Et ex his, quam uim habeat, quod iuſtitia animæ partium concentus conciliatio à Theage eſſe definiatur, ſatis intelligi poſſe exiſtimo. Quid uerò ſibi uelit, quod ἀρετὰ τελεία καὶ ϖανυπερτάτα, id eſt, uirtus perfecta atq́; ſuprema dicatur, id quanquam ex ijs, quæ à nobis in collationis ſymphoniæ explicatione ſunt dicta, iam apertum ſit; tamen quoniam eleganter adeò & peritè ab Ariſtotele libro Moralium ad Nicomachum quinto, ut dictum eſt, docetur, non grauabimur, & eius diſputationis ſummam quandam hoc loco ſubijcere. Cum igitur ex eo, qui contrarij habitus eſt particeps, iniuſtitiæ nimirum, quem παράνο-

μον,

μον, id eſt, exlegem uocat, itemq; ſubiectis, & de quibus lex præcipit ducta probatione, conuenienti methodo eò perueniſſet, ut iuſtitiam omnes uirtutes in ſe continere conſtaret, ad extremum, concluſionis loco, hanc infert orationem, αὕτη μὲν οὖν ἡ δικαιοσύνη, ἀρετὴ μὲν ἐστι τελεία, ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρὸς ἕτερον· καὶ διὰ τοῦτο πολλάκις κρατίστη τῶν ἀρετῶν εἶναι δοκεῖ ἡ δικαιοσύνη, καὶ οὔθ' ἕσπερος, οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός· καὶ παροιμιαζόμενοι φαμὲν,

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.

καὶ τελεία μάλιστα ἀρετὴ, ὅτι τελείας ἀρετῆς χρῆσίς ἐστι. τελεία δ' ἐστὶν, ὅτι ὁ ἔχων αὐτὴν, καὶ πρὸς ἕτερον δύναται τῇ ἀρετῇ χρῆσθαι, ἀλλ' οὐ μόνον καθ' αὑτόν. quod eſt, Atq; hæc quidem iuſtitia, uirtus eſt perfecta: at non abſolutè ſimpliciterq;, ſed ad alterum: eamq; ob cauſam ſæpenumero uirtutum præſtantiſſima iuſtitia eſſe uidetur, ac nec Heſperus, nec Lucifer tam admirabilis: & prouerbij loco dicere ſolemus.

Iuſtitiæ uirtus ſummatim includitur omnis.

Ac perfecta maximè uirtus, quod in perfectæ uirtutis uſu conſiſtat. Cæterùm perfecta eſt, quod qui eam habeat, & erga alterum ipſa uti poſſit, minimè autem in ſe ſolum. Et uirtutum quidem tum ſingularum animæ partium, tam abſolutarum, quàm ſcheticarum,

quas